



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

224
G 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

KW 224 G 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

JOHAN. PINCIERI M. D.

ÆNIGMATUM LIBRI TRES,

cum Solutionibus;

In quibus continentur Res Variæ memoratu dignæ, lectuque jucundiſſimæ.

Adjecto inſuper INDICE rerum copioſo.

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.

Koninklijke Bibliotheek 's Hage.

HAGÆ-COMITUM,
Ex Typographia ADRIANI VLACQ.
M. DC. LV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ILLUSTRISSIMO
AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DO-
MINO,

DOMINO MAURI-
TIO, HASSIÆ LANDGRA-
VIO, COMITI IN CATZENELN-
BOGEN, DIETZ, ZIGENHAIN
ET NIDDA,

Domino ſuo Clementiſſimo,

Hos tres ænigmatum libellos

Sinceræ congratulationis,
Debitæ gratitudinis, &
Humilis ſubjectionis ergò

dedicat

JOHAN. PINCIER.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

AD EUNDEM ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM

Epigramma ejuſdem.

CVi dono exiguos meos libellos,
Quos ænigmatibus dedi refertos
In lucem, populi ut legantur ore?
Haſſorum, tibi, per-benigne Princeps.
Nam tu, ſi quid in his ſub involucro
Verborum occulitur, ſagacitate
Innatâ ingenii tui vel ipſo
OEdipo meliùs videre quibis,
Subjectæ indigus haud ſolutionis:
Aut ſi te fugiat, quid hoc vel illo
Gripho quæſierim, ſolutionem
Percurrens oculis citis, acuto
Mox pro judicio tuo videbis,
An veri attigerim ſcopum petiti.
Intellexi etiam, benigne Princeps,
Te dextrum ſtudiis meis favere,
Et meos aliquid putare verſus;
Meque hoc nomine cenſeo beatum,
Neglectaſque ferè reviſo Muſas.

Tun

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Tum rumor cupidam ſubivit aurem,
Nunc meam patriam tuarum habenis
Legum morigeram, tuæ fidele
Iuraſſe obſequium benignitati.
Verbis atque animo quid ergo ceſſo
Patriæque tibique gratulari?
Subditos tibi nempe obedientes,
Patriæ Dominum bene imperantem.
Sed ne ἀσύμβολος eſſe gratulator
Dici fortè cui queam aut videri,
Cùm poßim pretioſa nec metalla
Nec gemmas dare, ut quibus redundas:
Hi ſunto mea συμβολὴ libelli,
Quos dono Domino meo ac patrono,
Pacem perpetuam precans & ipſi,
Et toti populo. Sed hos libellos
Tum legat, cùm animo vacat remiſſo,
Tractantem graviora ne moleſtent.

AD LECTOREM
BENEVOLUM
Epigramma.

PErluſtra inſcriptas ęnigmata lumine chartas,
Quæ dedit ingenium, lector amice, meum.
Sed cave, te crucies, ſi prompta ſolutio non ſit
Forſitan; auxilio, faxo, juvere meo.
Quos & enim ſtrinxi nodos ſermone ligato,
Protinus expedient verba ſoluta tibi.
Interea facito (quoties libet) ipſe periclum.
Fallor? an in multis OEdipus alter eris.
Si quasdã (quæ pauca tamen) tibi priſca videntur:
Attamen ornatu cernis amicta novo.
Quod ſi ænigmaticam non omnia forſan olebunt
Naturam, tamen haud rejicienda puta.
Namque aut expedient cæci tibi vincula nodi,
Aut rem narrabunt, quæ peregrina fuit;
Aut ſcrutabuntur naturæ arcana latentis,
Aut oblectabunt pectora feſſa jocis.
Sed procul hinc joca ſunt ſcurrilia, quæq; lepóre
Caſſa probo, ſolâ futilitate placent.
Omne tulit punctũ, qui miſcuit utile dulci.
Pauca, mihi ſat erit, ſi modò puncta feram.

Johan. Pincier.

ODE

ODE
AD JOHANNEM PINCIE-
rum libelli hujus autorem.

QUiſquis docendo miſcuit utili
Dulce & jocoſum, condecorat ſagax
Hunc cæteros inter vetuſtas
Præcipui titulis honoris.
Hac arte pulſant aurea ſidera
Ingens Homerus, Pindarus & Maro
Muſis ſacer, multique Græcis
Vel Latiis celebres camœnis.
Queîs clara noſtri pectora ſæculi
Certant acuti viribus ingenI,
Quæ fulget Alciatus inter
Lauriger & Themidis ſacerdos.
Illum citato ſubſequitur gradu
Pincierus, artis Pæoniæ decus,
Ænigmatum duris opertos
Corticibus nucleos recludens.
Non Sphingis inſtar lethiferæ inſciis
Mortem ut minetur gentibus horridam;
Arcana naturæ ſed altis
Eruat ut tenebris in auras.
Quæ terra venis occuluit ſuis,
Fluctuque turgens Oceanus vago,
Miranda quæ magni creavit
Dextra Dei moderantis orbem:
Hac involucro condita ſub brevi,
Verborum apertis ſenſibus explicat,
Cauſaſque rimatur vel ipſo
Cecropidûm meliùs Lyceo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Sic expolitas artificis manu
Gemmas Eoï proſtituit freti
Aurúmve mercator recoctum
Occiduis rediens ab Indis.
Quiſquis jocando ſeria dicere
Multiſque paſſim tradita, ſedibus
Errantia incertis, in unum
Iudicio meliore librum
Compacta quæris, volvito ſedulus
Jani labores continuâ manu,
Grateſque perſolvas merenti
Ore pio, memorique mente,
Iano, benignus duplice quem beat
Phœbus coronâ, cui Charites favent,
Muſæque pollicentur ævi
Perpetuum decus inſequentis.

Nicolaus Betſius I. V. D. Conſiliarius Dillebergenſis.

Ru-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

RUDOLPHUS GOCLENIUS PROFESSOR PHILOSOPHUS in Acad. Murpurgenſi,

DE ACUTISSIMI ET INGENIOSISSIMI Philoſophi & Medici Iohannis Pincieri ænigmatum libris.

SUnt, qui ferant in lucem apertam ſcrupeos
Griphos, & involucra mirè Dædala,
Nugis logiſque vaniora, Sicelis
Quos prompſit olim nobilis proverbio.
Non hujus, ô lector, tibi farraginis
Tricas dat author hic nexúſve Gordios,
Nil frivolum, nil futile, nil inutile,
Vulgare nil, notum nihil tonſoribus,
Aut ad colum ſedenti nugivendulæ:
Arguta multa, multa dat ſubtilia,
Sed digna ſcitu, mentis alma pabula.
(Natura pandit hîc tibi myſteria
Non pauca: fermè dixeris miracula:)
Fabra ars ut elegans hîc eſt! & ingenI
Quanti! haud Mida, Phœbo ſed ipſo judice:
Arti lepos miſtus, Venuſtas, Gratiæ:
Eſt lacteum metrum; polita oratio:
Luſus valete, ambagioſa ænigmata,
Textus valete, quos unius æſtimet
Vix aſſis eruditus literis chorus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Cum PINCIERO filio Machaonis,
Cum PINCIERO gloriâ poëſcos,
Cum PINCIERO gloriâ polyhiſtorum.
Nodi diu vigebunt hi ſolubiles
Unis peritis præditis acumine
Rerum poli,ſoli,ſali doctiſſimis.
STRAMENTA ſint aſelli:
Aurum mihi placet.

Ad eundem epigramma.

Omne tulit punctum,qui miſcuit utile dulci;
Hoc tu cùm præſtes, ſingula puncta feres.

JOHAN. PISCATOR.

AD

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

AD CLARISS. PHILOSOPHUM ET MEDICUM,

Dominum Doctorem Johannem Pincierum,

Epigrammata Matthiæ Martinii.

I.

Ὡς ἐνὶ ταῖς χώραις αὐχμώδεσι σκορπιόπληκτος
    Εἰς ἴαμα τρέπει θηρεῖον ἰοβόλον·
Οὕτως αὐστηραῖς μελέταισιν ὑπέρκοπος, αὐτῶν
    Ἐκ μελετῶν δρύει θέλκτρον ἀκεσίπονον.
Αἰὲν ἐπισπᾶσθαι δριμὺν χυμὸν οὐ δυνάμεσθα,
    Αὐτὰρ ἐναλλάγδην χρήσιμός ἐστι γλυκύς.
Οὐ μὴν χρὴ ἔργων εἶναι κώλυμα πάρεργον,
    Οὐδὲ τὸ κῆρ ταυτοῦ πάντοτ' ἀποφθινύθειν.
Ἐν δὲ ἐλευθερίοις διατριβαῖς πῶς ἀνάπαυλαν
    Ἐστὶν ἐπαύρεσθαι, καὶ καμάτους τιθέναι,
Τοῦτο μέλει φαίνεις, ὦ Πιγκείηρε, μελίθρως,
    Καὶ πολυϊδρείας δ' εὐεπίας λιγυρᾶς.
Τοὔνεκα ἰητροῦ ἀκεσιμβρότου οὔνομα διττῶς
    Μισθοφορῶν, σωτὴρ ἄξιος ἐστὶ διπλοῦ.
Ὑμεῖς δ' αἰσχροὶ θαλεροὶ τῆς πολυμαθείας,
    Οὐκ ἀχαριστοῦντες, σφαῖζιν ὄνασθε φρεσίν.

II.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

II.

Τόξον ἐπιτεινόμενον ῥήγνυται.

Arcus tenſus rumpitur.

ΩΣ ἐπιτεινόμενον ῥήγνυται τόξον ὁρῶμεν,
    Εὖ δὲ ἀνιέμενον δηθὰ ἄθραυστον ἔμεν·
Ὡσαύτως θυμὸν πάσδε ποικίλα πυκνὸν ὀφέλλει,
    Καὶ ῥήσσει τρηχῶν ἐνδελέχεια νόου.
Σώζειν ἢν ἐθέλων ψυχήν τε δέμας θ' ὁλόκληρον,
    Ἡδέα, ἀλλὰ καλὰ, δεῖ μέτρῳ προσίθει.
Ἀμφότερον τόγε δὴ, κλυτὲ Πιγκείρε, διδάσκων,
    Ἐμποιῶν σοφίαν εὐφροσύνην τε χέων,
Τῆς φήμης ἕξεις στεφάνους δύο χρυσοῦφῆας,
    Τὸν μὲν τῆς σοφίας, τὸν δὲ εὐφροσύνης.

III.

ECce, Deus quàm ſit naturæ providus auctor;
    Factaque quàm mirè ſit medicina mali!
Scorpius infundit per corpora puncta venenum
    Acre, viam morti præcipitemque facit.
At vero à lethi crudelis tramite diro
    Non procul hîc vitæ ſemita dulcis abeſt.
Nam, ſi quē forſan metuendus acumine caudæ
    Scorpius icit, & hinc mortifer æſtus habet,
Ex iſto præſens petitur medicina veneno.
    Et perit illius vis revocata mali.

Non

Non ſecus à ſtudiis quum mens eſt ſeſſa ſeveris,
Et vis ingenii flaccida ſacta fuit,
Conditis ſtudiis alio ſale prorſus eiſdem
Mens refocillari collabefacta poteſt.
Nempe Deus ſapiens & multâ dote benignus
Sic gaudet noſtris advigilare bonis.
Id volvens animo, clariſſime Pincier, æquo,
Dulcia permiſces ſuaviter utilibus.
Lene paras acopum laſſis, vigor unde novatur,
Et faſtiditis gratia rebus ineſt,
Unâ eâdemque operâ virtus, ſapientia, lingua
Excolitur libri cognitione tui.
Multa piè ſpargis, quibus & ſacra pagina lucẽ
Accipit,& paucis cognita multa notas.
Sic animas curas ægras,& corpora ſanas,
Et medici nomen duplice jure tenes.
Ergo tibi grates,polyhiſtor Pincier, ætas
Omnis eo pariter læta labore canat.

IV.

Ænittologium.

NOn animis eadem placere poſſunt
Semper,& in ſtudiis morari eiſdem
Nemo poteſt,aliquando quin fatiſcat.
Omnia tempus habent ſuum,ſevera
Tempus habent: recreationis hora
Eſt etiam, poſito rigore, ludo

Quum

Quum locus eſt aliquis; ſed immodeſti
Vaniloquique ſales procul faceſſant.
Sic animum refice, ô puer, ſenex, vir,
Ne Domini violentur inſtituta,
Illius, eſt cui voce de otioſa
Danda tibi ratio ultimo dierum.
Sic animum recreare Pincierus
Te docet, ut ſapientior piuſque
Ut magis efficiaris. Ergo talem
Ludere fac tibi liberaliore
Ingenuæ ſapientiæ lepore.

V.

Qui legis hunc titulũ, quòd ſint ænigmata (ſcripta
In hoc recèns cuſo libro:
Ne ludicra tibi fructus & inania verba
Hîc eſſe ſomniaveris.
Seria jucundo ſub ſchemate verba videbis
Sapientiâ ſcatentia.
Ipſum ænigma licet vulgus defœdet ineptis
Nugis, jociſque inertibus:
Eſt vox anguſti ſenſus pleniſſima. Dictum
Nam denotat laudabile.

Julius Scaliger
lib. 3. poet. c. 84.

Αἶνος ignota multis vox, & à maxima auctorum parte præterita, ac pro laude quidem vulgatiſſima eſt: at pro eo, quod hîc ſtatuimus, rara. Significavit igitur dictum non qualecunque, ſed laude dignum atque admiratione,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

tione, neque id quodcunque, ſed id tantùm, quod propter obſcuritatem ſolis ſapientibus notum eſſet, unde apertius ac vulgatius vocabulum ænigma, à verbo inde ducto αἰνίζειν, ſive αἰνίττειν. Iccirco αἰνὸν quoque grave ſignificavit. Et ajunt autem, idem eſſe aliquando αἶνον quod αἴνιγμα. Quare ſi ita eſt: neutiquam vel ψυχαγωγίαν vel παραίνεσιν ſemper habebit. Quæ ſi aliquando non habeat, non erit differentia, qua à Mytho diſtinguatur. Idem verò eſſe quod Ænigma, illo exemplo patet apud Suïdam; *Vir non vir, percuſſit avem non avem, lapide non lapide, ſedentem ſuper ligno non ligno:* id eſt, Eunuchus veſpertitilionem pumice ſuper ferula. Ego puto idem eſſe Ænon ſive Mython; ſed hanc vocem eſſe tritam magis, illam antiquiorem. Etenim apud Heſiodum primùm legimus, apud alios, qui illum ſecuti ſunt, rariùs. Eſt autem Ænigma oratio obſcura, rem notam, quam ſignificat, ambagibus tegens. Idem etiam Griphus dictus eſt: tranſlatione ſumptâ à ſcirpeis piſcatorum labyrinthis; diſtinxere tamen Grammatici.

AU-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

AUTORUM NOMINA.

A

Abrahamus Ortelius.
Achilles Gaſſerus.
Ælianus.
Aëtius.
Albertus Magnus.
Alexāder Aphrodiſæus.
Alexander Benedictus.
Amatus Luſitanus.
Andreas Matthiolus.
Anticlaudianus.
Antonius Muſa Braſavolus.
Apulejus.
Archilochus.
Aretæus.
Ariſtoteles.
Avenzoar.
Averrhoës.
Avicenna.
Aulus Gellius.

B

Biblia ſacra.
Bellonius.
Benzo.
Bernhardus.
Beroaldus.
Beroſus.
Bertius.
Buchananus.

C

Cælius Rhodiginus.
Cælius Calcagninus.
Calveton.
Camers in Solinum.
Carolus Cluſius.
Carrerius.
Cato.
Chriſtophorus Acoſta.
Cicero.
Coiterus.
Columella.
Comes Natalis.

Conim-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Conimbricenſes.
Cornelius Celſus.
Cornelius Tacitus.
Cyprianus.

D

Daniel Toſſanus.
Dioſcorides.
Dionyſius Areopagita.
Dubravius.

E

ErasmusRoterodamus.
Euſebius.

F

Franciſcus Patritius.
Franciſcus Petrarcha.
Franciſcus Ruejus.
Franciſcus Suarez.
Franciſcus Valleſius.

G

Gabriel Falloppius.
Gabriel Rollenhagius.
Galenus.
Garcias ab horto.
Geber.
Georgius Agricola.
Gerhardus Mercator.
Geſnerus.
Gomara.
Guilhelmus Adolphus.
Scribonius.
Guilhelmus Gilbertus.

H

Henricus Buntingus.
Herodotus.
Heſiodus.
Hieronymus Capivaccius.
Hieronymus Mercurialis.
Hieronymus Tragus.
Hieronymus Zanchius.
HieronymusCardanus.
Hippocrates.
Hiſtoria Polonica.
Horatius Augenius.
Horatius Flaccus.
Hyginus.

I

Ianus Cornarius.
Ioachimus Camerarius.
Iohannes Martinus Scotus.
Iohannes Hugo Linſcotanus.
Iohannes Stadius.
Iohannes Freigius.
Iohannes Langius.
Iohannes Porta.
Iohannes Manardus.
Iohannes Michaël Savonarola.
Iohannes Schenkius.
Iohannes Piſcator.
Iohannes Fernelius.
Iohannes Fragoſus.
Iohannes Baptiſta Theodoſius.
Iohannes Lerius.
Iohannes Crato.
Ioſephus Scaliger.
Iſaacus.
Iulius Cæſar Scaliger.
Iuſtinus.

L

Lambertus Danæus.
Lactantius.
Lampridius.
Laurentius Ioubertus.
Leonhardus Fuchſius.
Levinus Lemnius.
Livius.
Lucanus.
Lucianus Martyr.
Lucretius.
Ludovicus Vartomannus.
Ludovicus Vives.
Lyra.

M

Macrobius.
Manilius.

Marcellus Palingenius.
Martialis.
Meſue.

N

Nonius Marcellius.

O

Olaus Magnus.
Origenes.
Oroſius.
Oſorius.
Ovidius.

P

Palæphatus.
Palladius.
Paracelſus.
Pareus.
Petrus Meſſias de Sevilia.
Petrus Crinitus.
Petrus Ramus.
Philander.
Philippus Mornæus.
Philippus Camerarius.
Phlegon.
Plato.
Platearius.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polydorus Virgilius.
Pomponius Mela.
Procopius.
Ptolomæus.

R

Realdus Columbus.
Rovillii Herbarius.
Ruffinus.

S

Sebaſtianus Munſterus.
Seneca.
Serapio.
Serenus.
Sigiſmundus liber Baro ab Herbenſtain.
Strabo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

T

Tertullianus.
Themiſtius.
Theologi Heidelbergenſes.
Thomas Aquinas.
Thomas Eraſtus.

V

Varro.
Vitruvius.

X

Xenophon.

Z

Zabarella
Zonaras.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

LIBRI PRIMI

ÆNIGMA PRIMUM.

Sum volucris, nam plumoſum mihi corpus & alæ,
Quarum remigio, quum libet, alta peto.
Haud tamen è volucris fœcundo ſemine naſcor:
Haud ovi tereti in cortice concipior.
Nec mihi componit nidos pia cura parentum,
Nec primis implet roſtra tenella cibis.
Sed mare me gignit biforis ſub tegmine conchæ,
Aut in ventre trabis, quam tulit unda diu.
Illud idem tenero mihi pabula præbet alumno;
Pabula jam grandi ſuggerit illud idem.

SOLUTIO.

ANſeres Scotici, quos incolæ *Clak guyſe* indigitant, etſi aves ſint, non tamen ex avibus naſcuntur, aliarùmve avium ritu ex ovis excluduntur, nec teneri adhuc à parentibus, quos nullos habent, aluntur; ſed in mari Scotico prope Hæbrides inſulas oriuntur, & nunc in conchis concipiuntur, nunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

in lignis longiore morâ in mari putrefactis gignuntur.

Horum originem Jacobus Martinus Scotus de prima generatione cap. 17. accuratè proponit, ex Hectore Boëtio in deſcriptione regni Scotiæ his propemodum verbis: *Reſtat ut de anſeribus Scoticis, quos Clachis appellant, quoſque vulgò perperam in arboribus naſci in his inſulis credunt, ea quæ hujus rei cognoſcendæ multo jam tempore ſtudioſi re diligenter exploratâ perſpectâque cognovimus, diſſeramus. Mari enim illis interjecto mihi magis eos procreandi vis quædam ineſſe videtur, quàm alicui alii rei. Variis enim modis, ſemper tamen in mari, eos provenire conſpeximus. Etenim ſi lignum in id mare projicias, temporis tractu primùm in eo vermes ex cavato ligno naſcuntur, qui ſenſim formati capite pedibusque atque alis, plumas poſtremò edunt: demum anſeribus magnitudine æquales cum ad juſtam pervenerunt ætatem, cælum petunt avium aliarum more remigio alarum per aëra delati. Id quod luce clarius anno à partu virginis* 1490 *plurimis ſpectantibus in Buthphania viſum eſt. Nam cum in eam ad Pethſlege caſtellum fluctibus hujusmodi quoddam lignum ingens delatum eſſet, rei novitate, qui primi conſpexerant, admirabundi ad loci illius dominum accurrentes rem novam nunciant. Is adveniens trabem ſerrâ dividi jubet; quo facto, ingens confeſtim apparet multitudo partim vermium,*

mium, quorum alii adhuc rudes erant, alii membra quædam formata habebant, partim etiam jam formatarum perfectè avium, inter quas quædam plumas habebant, quædam implumes erant. Itaque *rei miraculo ſtupefacti, jubente domino, in templum Divi Andreæ Tyre (pago cuidam id nomen eſt) lignum deportant, ubi & hodie manet undique veluti â vermibus perforatum. Hujus ſimile biennio pòſt in Taum æſtu appulſum ad Bruthe caſtellum multis accurrentibus oſtenſum eſt. Nec diverſum eſt, quod exinde duobus rurſum annis Lethiportu Edimburgenſi, univerſo populo ſpectare contigit. Ingens enim navis cui inſigne ac nomen Chriſtophori erat, ubi tres perpetuos annos ad unam Habridum in anchoris conſtitiſſet, huc reducta, atque in terram ſubducta, exeſis trabibus, quâ mari ſemper merſa fuerat, partim vermium hujusmodi rudium perfectámve avis formam nondum habentium, partim jam abſolutarum avium magnum numerum oſtendit.* Cæterùm *cavillari quispiam poſſit, arborum illis in inſulis natarum truncis ac ramis virtutem hanc ineſſe: Chriſtophorum quoque illam ex trabibus Hæbridianis contextam fuiſſe. Itaque quod ipſemet ſeptem ab hinc annis vidi, haud gravabor in medium adducere. Alexander Gallouidianus, Kilkendenſis eccleſiæ paſtor, vir præter inſignem probitatem rerum admirandarum ſtudio incomparabilis, cùm extractâ algâ marinâ inter caulem & ramos à radice ſtatim uſque ad cacumen con-*

chas adnatas videret, rei novitate attonitus, mox cognoſcendi ſtudio eas aperit, ubi multò magis quàm antea, obſtupefactus conſtitit. Non enim piſcem in teſtis concluſum, ſed, dictu mirabile, avem & pro illius magnitudine teſtas quoque inauctas conſpexit; quibus enim parvæ inerant, & ipſæ quoque apertæ eas pro quàntitate amplectebantur. Itaque ad me extemplò, quem hujusmodi rerum cognoſcendarum jam olim magnâ cupiditate detentum noverat, celeriter accurrit, remque omnem mihi monſtrat, non magis rei miraculo obſtupefacto, quàm rei tantæ ac tam inauditæ conſpectu læto. Hac enim ſatis conſtare arbitror, non hæc procreandarum avium ſemina aut truncis aut arborum ineſſe fructibus, ſed ipſi Oceano, quem Maro, ut Homerus, patrem rerum haud temerè appellavit. Verùm quoniam id fieri videbant cadentibus in aquam arborum ad littus poſitarum pomis, ut temporis tractu ex illis eæ apparerent volucres, in eam ſententiam adducti ſunt, ut poma illa in ipſas commutari arbitrarentur; ſed falsò. Nam tempore adnatis vi maris primùm vermibus, atque iis ſenſim excreſcentibus, viciſſimq pomis illis humiditate corruptis disparentibusque, non ſatis accuratè perſpicientibus, ex illis in has transmutari formas, viſæ ſunt. Hæc Hector Boëtius.

Illuſtris vir Jul. Cæſar Scaliger exerc. ad Card. 51. diſt. 2. ait, in Oceano Britannico avem eſſe annatis facie, roſtro pendere de reliquiis

liquiis putridis naufragiorum, quoad abſolvatur, atque abeat quæſitum ſibi piſces, unde alatur, refertque ſe talem avem vidiſſe. Vaſcones Oceani accolæ *Crabans* vocant illas: à Britonibus *Bernachiæ* appellantur: recepto etiam in proverbium vocabulo, cùm ignaviam cuipiam exprobrare volunt: quaſi neque caro ſit, neque piſcis. Ait inſuper, Franciſco Regi allatam eſſe concham non admodum magnam cum avicula intus penè perfecta, alarum faſtigiis, roſtro, pedibus, hærente extremis oris oſtraci.

Egomet quoque Sigenæ quinque ejuſmodi conchas habui, aliiſque multis monſtravi, quas Eraſmus Stoverus conſiliarius Dillebergenſis ex Belgio attulerat, mihique dono dederat. In his quoque aviculæ exterioribus partibus ſuis ita abſolutæ, ut exactè diſcerni poſſent, deliteſcebant. Ipſi autem pro conchis, in quibus anſeres Scotici naſcuntur, donati fuerant.

De ſimilibus conchis vide Hiſtoriam generalem plantarum Rovillianam lib. 12. cap. 38. Unde apparet, Munſterum in ſuâ Coſmographiâ hallucinari, ubi anſeres iſtos ex arborum certarum fructibus in arbore adhuc hærentibus, gigni, ex iiſque in aquam delapſis ſuo tempore emergere affirmat, idque appoſitâ inſuper figurâ repræſentat.

In ſimilem errorem à quodam Scotica-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

rum rerum ſcriptore adductus fuit reverendus vir Olaus Magnus, ut videre eſt li. 19. hiſt. ſeptentr. c. 6. Vocat autem anates Scoticas; quæ è fructu arboris cujuſdam in inſulis Orcadibus naſcantur. Et capite ſequenti affirmat, ſimili generatione genus quoddam anſerum in regionibus ſeptentrionalibus è fructibus arborum provenire, non tamen adjicit, an maritimæ illæ arbores ſint, nec ne. Quod ſi eſſent, non ſoli Oceano Hæbridibus inſulis vicino ejuſmodi anſeres producendi vim ineſſe ſequeretur. Verùm de ſuis anſeribus Olaus viderit.

ÆNIGMA II.

Quam viva haud tetigi, tellurem mortua tango.
Dum vixi, ſemper me levis aura tulit.
Nam pedibus careo, nec humi conſidere poſſum:
Sublimis rore aut aëre vivo levi.

SOLUTIO.

SUb æquatore ultra Taprobanen, quæ nunc Sumatra dicitur, ſitæ ſunt quinque inſulæ aromatum uberrimo proventu toto orbe celebres, quas Moluccas vocant. In his quandoque mortua avis magnitudine picæ ex aëre decidit, nunc in terram, nunc in mare illi vicinum. Nomen ei Manucodiata. Mahumetanis avis paradiſi appellatur, quippe qui eam è fictitio ſuo paradiſo delabi nugantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

nugantur. Viventem eam nemo vidit, neque cùm pedibus careat, terram vivens attingit: ſed in aëre ſublimi longiſſimèque diſſito degit, nulliuſque ad eſcam opis indigens haud alio quàm aëris pabulo veſcitur. Cardanus eam rore ali arbitratur, quòd aër propter nimiam ſui tenuitatem ad alimoniam ineptus ſit. In aëris autem longinquiſſimis receſſibus alarum expanſarum, caudæque prælongæ ac plumarum copioſarum, quibus obſita eſt, adminiculo ſe ſuſtentat.

Plura de hac ave dabit Cardanus lib. 10. de ſubtilitate. Scaliger exercit. 228. diſtinct. 2. & 5. Pareus Chirurg. ſuæ lib. 24. Hugo Linſcot. navig. ſuæ cap. 3. in fine. Bertius in deſcriptione Moluccarum inſularum.

Hujus avis exuvias clariſſimus vir D. Joachimus Camerarius Reipub. Noribergenſis medicus, anno 1581 mihi tunc ejus contubernio utenti oſtendit, & ante paucos dies alias ex Hollandia Dillebergam miſſas vidi colore à prioribus plurimùm differentes.

Militum ducibus loco criſtæ in caſſide eas geſtare gloria eſt, idque inter fauſta homines ſuperſtitioſi habent.

Inter ſidera retulerunt Manucodiatam recentiores globorum cæleſtium delineatores, locumque ei in hemiſphærio meridionali haud procul à polo antarctico aſſignârunt.

 Quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Quoniam verò avis hæc roſtrum longiuſculum habet, & in ejus parte ſuperiore nares more aliarum avium; nares aëri attrahendo & reddendo deſtinatas eſſe extra dubium eſt. Sed roſtri oriſque quis uſus, ſi ſolo aëre veſcitur Manucodiata? Sanè ſolidioris alimenti gratiâ hæc data eſſe, rationi conſentaneum eſt, qualecunque id ſit.

ÆNIGMA III.

Flos mihi deciduus ſine ſemine ſurgit in auras;
Sub terra radix ſemine fœta latet.

SOLUTIO.

EX floribus ſaxifragiæ quartæ Matthioli nullum oritur ſemen. Radicis autem fibris adhærent grana quædam rotunda coriandri magnitudine, quæ ſemen ejus putantur, nec in officinis alio nomine ſignificantur. Quin etiam in uſus medicos ſub ſeminis nomine admittuntur. *Mira ſanè*, inquit Matthiolus, *hujus plantæ natura, quòd ſemen in radicibus gerat*: quem vide lib. 4. compendii plantarum numero 645. Et in commentario in lib. 4. Dioſcoridis cap. 15. Fuchſius in commentariis ſuis de hiſtoria ſtirpium cap. 285. Saxifragam majorem & ſaxifragam albam vocat. Germanis dicitur hoher Steinbrech & weiſſer Steinbrech.

ÆNIG-

ÆNIGMA IV.

Conſpicuas non curo dapes, non curo liquores:
Prætenuis vitæ ſufficit aura meæ.
Vna mihi facies ſemper, ſed non color unus;
Mutuat hunc etenim, quod propè, corpus, adeſt.
Candoris tamen eſſe capax negor atque ruboris,
De me Comenſis ſi modò vera refert.

SOLUTIO.

CHamæleon, inquit Plinius lib. 8. cap. 33. *ſolus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quàm aëris alimento: circa caprificos ferus, innoxius alioqui. Et coloris natura mirabilior. Mutat namque eum ſubinde & oculis & cauda & toto corpore, redditque ſemper quemcunque proximè attingit præter rubrum candidumque.*

His conſentanea leguntur in Solini Polyhiſtore cap. 43. & apud Ovid. lib. 15. metamorph. fab. 15. præterquam quòd Ovidius nullum excipit colorem. Sic enim ait:

Id quoq; quod ventis, animal, nutritur & aura,
Protinus aſſimilat, tetigit quoscunque colores.

Ovidio aſtipulatur Tertullianus in libro de pallio, ubi aſſerit, Chamæleonti de vento cibum eſſe, coloremqne totum ut quid acceſſit mutari.

Johannes Hugo Linſcotanus navigationis ſuæ c. 45. Indiam quamplurimos Chamæleontes

 leontes

leontes habere refert, innoxios tamen, quique non alio quàm aëris alimento ſuſtententur. Quòd autem colorem mutent, non attingit.

Verùm ab horum aſſertione diſcrepat Bellonius., & primùm quidem lib. 2 ſuarum obſerv. cap. 25. ſcribit, Chæmæleontem ſolo aëre non vivere, ſed ex occulto latrocinari, muſcasque, erucas, ſcarabæos & locuſtas linguâ, quam longam ſortitus eſt, attrahere, iisque veſci, ſicut & ſerpentes ſolent. His enim omnis generis inſecta pro cibatu eſſe, experientiâ ſe cognitum habere, obſervaſſeque, cùm eorum ventriculos inter diſſecandum perſcrutaretur.

Idem lib. 1 de aquatil. refert, Chamæleontem famem octo menſes atq; interdum annũ ferè integrum tolerare, atq; hinc falsò creditum, eum nihil edere, ſed vento ali. & mox ſuggerit, Chamæleonti linguam eſſe teretem, ſeſquipalmam longam, quam longè in inſecta, quibus maximè veſcatur, vibret, muſcasque, ſcarabæos, locuſtas & formicas ad ſe adducat.

Scaliger exercitatione 196. diſtinct. 6. confirmat ea, quæ ex Bellonio de Chamæleontis pabulo allata ſunt, teſtimonio Johannis Landii, narrantis ſe vidente Chamæleontem linguæ repentino momentaneoque jaculatu muſcam legiſſe, illiusque à ſe diſſecti linguam palmæ longitudine inventam, cavam, inanem. In ſumma, tanquam acetabulum

lum

lum cum muco, quo prædam tolleret. Quòd autem aër illi alimentum ſit aliquandiu, ex eo patere ait, quòd & integrum annum inediam tolerare dicatur, quodque ubi hiatu excepit auram & occluſit malas, venter ei turgeat.

De colore quoque Chamæleontum reipsâ comperit Bellonius, Plinium & Solinum vero conſentanea non ſcripſiſſe. Fatetur quidem, colorem eos in momento mutare, non addit tamen, cuicunque rei ſe conjunxerint, ei concolores fieri, ſed ſimpliciter magna ex parte eos ex viridi pallere dicit: interdum ex cæruleo vireſcere: inde fieri, ut non facilè obſervari queant. Nam ramo inſidentes ſimili virore prædito, à diligenter etiam requirentibus vix inveniri poſſe. Quòd verò rubrum colorem & candidum fingere aut mentiri non valeant, ſilentio præterit. Atque hæc de Ægyptiacis à Bellonio prodita ſunt. Ab his Arabicos lib. 2. cap. 60. multis notis facit differentes. Minores enim eſſe ait, colorisque planè diverſi, videlicet albi, cui rubor admixtus ſit. Et clariùs lib. 1. de aquatilib. *Chamæleon*, inquit, *duplex à nobis conſpectus eſt. Alter in Arabia puſillus, lacertam viridem non excedens, colore albicante, ſubfulvis & rubentibus maculis diſtinctus: alter in Ægypti æſtuariis frequens, corpore duplo, quàm Arabicus, majori: calore inter Indicum & viridem ambiguo, quem ex luteo in fulvum variè commu-*

tare ſolet : unde verſicolorem Chamæleontem antiqui appellaverunt.

Scaliger exerc. 196. diſtinct. 4. nullâ hujus differentiæ factâ mentione, *Color*, inquit, *eſt albus eis, viridis, luteus. Naturalis, viridis, admodum dilutus in tergo: at ſub ventre dilutior albicantique propior. Variatur tamen totus rubris & cæruleis atque albis punctis. In quoslibet mutari colores verum non eſt. Super viridi viriditas vegetatur: ſuper luteo temperatur ad luteum. Super cæruleo, aut rubro, aut albo non vincitur viriditas nativa: ſed puncta cærulea & rubra & alba vividiorem validioremque ſui ſpeciem dant. Super nigro nigreſcunt, manet tamen tenor ille viredinis atro confuſus. Etiam haud mutato ſuppoſito colore mutat ipſe ſuum vel metu vel moleſtiâ aut oppreſſus aut ſolutus.*

Ariſtoteles autem lib. 2. de hiſtor. animalium cap. 10. narrat, Chamæleontem, cùm ſeſe inflat, colorem mutare, & nunc nigrum adſciſcere, qualis eſt Crocodilorum, nunc pallidum, cujusmodi eſt lacertarum, nunc rurſum nigris variegatum maculis inſtar pardorum. Accidere autem hanc coloris mutationem per omne corpus, adeò ut & oculi & cauda in eundem cum reliquo corpore abeant colorem. De ſuo igitur Plinius addidit, eum à Chamæleonte reddi, quam proximè attigerit, præter rubrum & album.

Cæterùm ex hac coloris in Chamæleonte

varia-

variatione natum adagium, *Chamæleonte mutabilior*, apud Eraſm. Chil. 4. cent. 3. num. 1. quod competit in hominem verſipellem & tempori ſeſe accommodare ſolentem.

De Chamæleonte etiam quædam apud Petrum Crinitum de honeſta diſciplina lib. 18. cap. 14. extant, priſcorum tamen commentis potiùs quàm recentiorum obſervationibus congruentia.

ÆNIGMA V.

Ipſa meam matrem cùm naſcerer ore peremi,
Ipſa etiam morſu prolis obibo meæ.
Vtque meum necui crudeli morte maritum,
Interimet pariter ſic mea nata ſuum.

SOLUTIO.

QUomodo viperæ coëant, pariant & intereant, ex veterum ſententia hoc ænigma adumbrat. Herodotus in Thalia refert, cùm viperæ libidine agitantur & per paria coëunt, fœminam collum maris in emiſſione genituræ apprehendere, ſorbenſque non priùs dimittere, quàm devoraverit, & marem quidem hoc modo perire: fœminam verò talem luere maſculo pœnam; quòd filii, dum adhuc intra uterum ſunt, patrem ulciſcentes matrem ambedant, ejuſque alvo ambeſâ ita partum faciant. Ideo autem in tam pernicioſæ prolis generatione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

utrique parenti moriendum eſſe cenſet, ne hominibus præ tantâ viperarum multitudine nulla vivendi ſit facultas.

Huic Herodoti de viperarum ortu & interitu commento ſubſcripſit Galenus in libro de Theriaca ad Piſonem ex Nicandri autoritate, nec non Prudentius contra Marcionitas his verſibus:

Sic vipera (ut ajunt)
Dentibus emoritur fuſæ per viſcera prolis.
Mater morte ſua, non ſexu fertilis, aut de
Concubitu diſtenta uterum: ſed cùm calet igni
Percita fœmineo, moriturum obſcœna maritum
Ore ſitit patulo; caput inſerit ille trilingue
Conjugis in fauces, atq; obſcula fervidus intrat,
Inſinuans oris coitu genitale venenum.
Nupta voluptatis vi ſaucia, mordicus hauſtum
Frangit amatoriè blanda inter fœdera guttur,
Infuſasque bibit caro pereunte ſalivas.
His pater illecebris conſumitur: at genitricem
Clauſa necat ſoboles, nam poſtquã ſemine adulto
Incipiunt calidis corpuſcula parva latebris
Serpere, motatumque uterum vibrata ferire,
Æſtuat interno pietatis crimine mater,
Carnificemque gemit, damnati conſcia ſexus;
Progeniem, ſepti rumpentem obſtacula partus.
Nam quia naſcendi nullus patet exitus, alvus
Fœtibus in lucem nitentibus excruciata
Carpitur, atque viam lacerata per ilia pandit.
Tandem obitu altricis, prodit grex ille dolorum

In-

Ingreſſum vitæ vix eluctatus, & ortum
Per ſcelus exſculpens, lambunt natale cadaver
Reptantes catuli, proles dum naſcitur orba
Haud experta diē, miſeræ niſi poſthuma matri.

Plinius lib. 20. c. 26. marem fœminæ caput in os inſerere, idque eam voluptatis dulcedine abrodere, ſimiliter prodit. In eo autem ab Herodoto diſſentit, quòd viperam priùs ova intra ſe concipere ac parere ait unius coloris, & mollia ut piſces, & tertiâ die intra uterum catulos excludere, deinde ſingulis diebus parere viginti fere numero. Itaque cæteras (in quo rurſum non nihil conſentit) moræ impatientes perrumpere latera occisâ parente.

Ariſtoteles lib. 5. de hiſtoria animalium capite ultimo, ova fœminam intra ſe quidem concipere, ſed non item intra ſe excludere, teſtatur. Parere enim viperulas menbranis obvolutas, quæ tertiâ die rumpantur. Evenire tamen interdum, ut poſtremæ in ipſo utero membranas ſuas perrumpant, atque ſic nudæ in lucem prodeant. Quòd verò materni ventris latera erodant, matremq́ue hoc pacto interficiant, non prodit.

Eſt tamen etiam in hac Ariſtotelis narratione, quod cenſuram meretur. Quòd enim ponit, viperam parere catulos membranis obvolutos, refellitur teſtimonio Bellonii, qui cùm viperas prægnantes & parientes obſer-

varet,

varet, vidit eas catulos ſuos absque membranis in lucem edere.

Amatus Luſitanus centuria 2 triplicis erroris hac in parte veteres inſimulat, & eo quem illi docuerunt, modo nec viperas coïre, nec concipere, neque matris viſcera in partu catulos peredere contendit. Idem in ſuo in Dioſcorid. comment. *Vidimus*, inquit, *& nos, & plures alii experientia comprobarunt, viperas prægnantes pyxidibus incluſas parere: quæ inde ex partu nec mortuæ ſunt, nec perforatæ manſerunt, ſed vivæ & illæſæ, ut antè, in dies multos perdurarunt.*

Scaliger etiam exercitat. ad Cardanum 201. in circulatoris cujusdam theca lignea enatas viperellas illæſa matre ſe vidiſſe commemorat. Conſulere licebit & Matthiolum in ſuo commentar. in lib. 2. Dioſcor. cap. 16.

ÆNIGMA VI.

Nunc matrem præcedo meam, veſtigia matris
Nunc ſequor, & lateri nunc hæreo; nempe parenti
Prout mea ſe obvertit genitrix hac parte vel illa,
Vel pater intuitur genitricem hac parte vel illa.

SOLUTIO.

CORpus lucidum, ut ſol, pater eſt: mater eſt corpus opacum, ut corpus hominis:

minis: filia eſt umbra de corpore hominis jacta. Præcedit umbra hominem, ſi facie à ſole averſa antrorſum ambulet. Sequitur eum, ſi rectà ſolem verſus gradiatur. Lateri hæret, ſi transverſim incedens ab alterutro latere ſolem habeat.

ÆNIGMA VII.

Dic, ubi ſublimi gravis hæret in aëre maſſa,
Quam nullum vinclum, fulcraque nulla tenent?

SOLUTIO.

JOhannes Hugo Linſcotanus navigat. ſuæ cap. 4. ſcribit, oppidum Mecham in Arabia ſitum ex Mahumetis cadavere eſſe notum. Id ibi ferreæ ciſtæ incluſum ſubductum à terra pendêre ſub cælo ex magnete fabrefacto: id quod ab aliis quoque affirmatur, quorum ille authoritatem & fidem ſine dubio ſecutus eſt.

Contrà Ludovicus Vartomennus peregrinationis ſuæ cap. 11. 12. & 13. cadaver Mahumetis non Mechæ, ſed alio in loco, quem ipſe viderit, ſepultum eſſe, prodit. Eum locum Bellonius lib. 2. ſuar. obſerv. c. 53. Almedinam vocat, Ortelius Theatri orbis terrarum tabula 65. &. 68. Medinam, quod perinde eſt.

Ruffinus lib. 11. Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 33. ſimulachrum Solis in Serapis templo, quod

quod erat Alexandriæ, ex ferro ſubtiliſſimo fabrefactum fuiſſe refert, fixo ſupra ipſum in laquearibus magnete, qui vi ſua attraheret & elevaret ferrum, ut ſimulachrum aſſurrexiſſe populo & in aëre pendere crederetur.

Plinius etiam lib. 34. cap. 14. narrat, Dinocratem architectum Alexandriæ, Arſinoës templum magnete concamerare inchoaſſe, ut in eo ſimulachrum ejus è ferro pendere in aëre videretur. Interceſſiſſe mortem & ipſius & Ptolemæi, qui id ſorori ſuæ juſſerat fieri.

Verùm de magnete magneticiſque corporibus & de magno magnete tellure, lege Phyſiologiam novam Guilhelmi Gilberti Colceſtrenſis, Medici Londinenſis, Londini editam anno MDC; ubi magnetis natura pleniſſimè explicatur, multiſque argumentis & experimentis demonſtratur.

Globus ille, quem ex aquâ & terrâ Deus compegit, atque in medio univerſi collocavit, aëre etiam circumquaque ambitur & veluti in eo pendet atque libratur, nullis vinculis aut columnis, ſed ſolâ Dei potentiâ ſuſtentatus. Unde Buchananus in paraphraſi Pſal. 104.

— Stat nullo mobilis ævo
Terra ſuper ſolidæ nitens fundamina molis
Ponderibus librata ſuis.

Et

Et Manil. lib. 1. Aſtronom.

Eſt igitur tellus mediam ſortita cavernam
Aëris, & toto pariter ſuſpenſa profundo.

In hunc tamen præſens ænigma minimè quadrat, quoniam non *in ſublimi* exiſtit aut pendet *aëre*, ſed ejus internâ ſuperficie omni ex parte cinctus infimum mundi locum poſſidet. Rectiùs nubium ingentibus molibus in aëre ſuſpenſis accommodabitur.

ÆNIGMA VIII.

Nuncupor agnus, humique herbam, quæ proxima, carpo,
Deque meo roſeus vulnere ſuccus abit.
Inſidiaſque mihì tendit lupus, & tamen inter
Plantas connumeror; dic, ubi proveniam?

SOLUTIO

T*Artarorum horda primaria*, inquit Scaliger exerc. 181. diſt. 29. *Zavolha eſt vetuſtiſſimæ nobilitatis commendatione. In eo agro ſerunt ſemen ſeminis melonis ſimillimum, ſed minùs oblongum. Ex eo ſatu plantam exire dicunt, quam Borametz* (fortaſſe Baraniec. nam Baraniec agnum linguâ Sclavonicâ ſignificat) *id eſt, agnum vocant. Creſcit enim agni figurâ ad pedum ferè ternûm altitudinem, quem pedibus, ungulis, auribus, toto capite, præterquam cornibus, repræſentat. Pro cornibus pilos gerit, ſingularis cornu ſpecie. Obducitur corio tenuiſſimo: cujus detracti uſus ad capitum tegumenta incolis. Ferunt, internam*

pulpam

pulpam Gammari referre carnes. Cæterùm è vulnere quoque ſanguinem manare. Dulcore eſſe admirabili. Radicem humo exertam ſurrigere ad umbilicum uſque. Illud miraculi fovet magnitudinem: Quandiu vicinis obſidetur herbis, tandiu vivere quaſi agnum in læto paſcuo: abſumptis, tabeſcere atque interire. Idque non ſolùm vel caſu vel tractu temporis, ſed etiam experiundi gratiâ ſubtractis atque ablatis evenire, Quin illud auget admirationem, appeti à lupis eam, non item ab aliis beſtiis, quæ carne veſcantur. Hactenus Scaliger.

Hæc totidem verbis reperies apud Bertium in deſcriptione Tartariæ: nec non in hiſtoria plantarum Rovilliana lib. 18. cap. 85. & aliis verbis apud Sigiſmundum liberum Baronem ab Herbenſtein de rebus Moſcovitarum.

Addubitaſſe de hac mirabili planta Scaligerum, ex appendice colligere licet. Ait enim, illud ſcire ſe velle, ab uno ſtipite quatuor diſſita crura cum ſuis pedibus qui poſſint provenire atque produci?

ÆNIGMA IX.

Fare mihi, folium gradiens ubi proferat arbor,
Sponteque naturæ quod queat ire ſuæ?

SOLUTIO

IN inſula Cimbubon vicina naſcitur arbor, cujus folia in terram delapſa gradiuntur, perinde ac ſi viverent. Quodcunque item

item eorum attigerit aliquis, movebitur & abibit. M. Antonius Pigafetta octo dies hujusmodi folium in ſcutula habuit, quod quoties tetigit, in ſcutula circumambulavit, nullaque alia re quàm aëre vivere exiſtimatum fuit. Ex Hiſtoriæ plantarum generalis Rovillianæ lib. 18 cap. 88. de foliis ambulantibus, hæc ſunt deſumpta. Meminit & Scaliger exerc. 112.

ÆNIGMA X.

Dic, quàm perpetuò ſitis angeret arida terram,
Ni fluidas arbor ſuppeditaret aquas?

SOLUTIO.

TErra ea eſt inſula Ferri, quæ una eſt ex Canariis, terrasque alias omnes hoc miraculo vincit. In hac aquæ venæ nullæ ſunt, præterquam circa littus maris, ubi aliquid aquæ reperitur, ſed tam parum & tam remotum, ut inſulæ vel nulli uſui vel exiguo eſſe queat. Cæterùm Dei providentiſſimi rerũm opificis ſingulari procuratione arborem habet, cujus foliis cum juglandis foliis eſt aliqua ſimilitudo; majora tamen ſunt & perpetuò virent. Hanc ſemper nubecula circumdat & tegit. Inde folia aſſiduum humorem capiunt, ex quibus in craterem quendam à lapide conſtructum deſtillat, tanta copia, ut non ſolùm hominibus, verùm etiam armen-

tis

tis ſufficiat. Eximium ſanè divinæ bonitatis, ſapientiæ & potentiæ argumentum, qui & cujusq; loci incolis ſollicitè res ad vitam neceſſarias providit, & quod communi aliquo modo non conceſſit, novit poteſtque alio peculiari & ob raritatem miraculoſo largiri. Vide Benzonem & Bertium in deſcriptione inſularum Canariarum, & Hu-gonem Linſc. navigat. ſuæ cap. 96.

ÆNIGMA XI.

Hoc à me ſocioque meo ſibi tertius haurit,
Quo neuter noſtrum præditus antè fuit.

SOLUTIO.

A Vitriolo & gallis in aquam conjectis maceratiſque aqua nigrum aſſumit colorem, fitque atramentum ſcriptorium. Ergo vitriolum, quod viride eſt, & gallæ, quæ gilvæ ſunt, conferunt aquæ nigredinem, quæ nec vitriolo, nec gallis priùs inerant.

ÆNIGMA XII.

Totus equos laſſo; medius, quæ cauſa, requiro;
Atque iterum medius ducor amore luti.
Æmula cornutæ ſi deſit littera lunæ,
Theſauri volucrum ſunt mihi paſtus apum.

SOLUTIO.

CUrſus (tota ſcilicet dictio, ſive potiùs id quod ea dictione ſignificatur) equos laſſat. *Cur*, una dictionis ejus medietas,

tas, requirit, quæ rei cauſa. *Sus*, altera medietas, ſive id, quod ea medietas denotat, gaudet luto. C, litera, quæ lunæ cornutæ ſimilis eſt, ablata, remanet *Vrſus*, qui maximè favos appetit, nec avidius aliud quàm mella captat. At leviculum eſt iſtud.

ÆNIGMA XIII.

Patre carens, & matre carens, ſine matre puellam
Produco, & propriæ carnis adinſtar amo.
Hæc mihi juncta viro ſocialis fœdere lecti
Per me fit mater, me facit illa patrem.

SOLUTIO.

ADamus ὁ πρωτόπλαςος ſine patre & matre fuit. Idem citra fœminæ congreſſum puellam produxit, hoc eſt, Evam, à Deo ex ipſiusmet Adami coſta creatam. Hæc conjux Adami facta ex eo liberos ſuſcepit, atque ita ipſa facta eſt mater, ſimulque patrem fecit Adamum.

Nec tamen (quod per occaſionem inſerere mihi liceat) ex eo, quòd Eva ex Adami coſta eſt condita, ſequitur, mares unâ coſtâ habere minus, quàm fœminas, ut quidam magni nominis vir ſcriptum reliquit; ſed parem numerum coſtarum in utroque ſexu juxta ordinem naturæ reperiri crebra anatomicorum obſervatione animadverſum eſt. Neque, ſi fœminæ co-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ſtarum numero mares ſuperarent, id ad fœtus majorem capacitatem, uterique faciliorem geſtationem, ut idem loquitur, quicquam commoditatis afferret. Sed potiùs uteri capacitas tantò eſſet arctior, quantò plus ſpacii coſta illa occuparet. Illud tamen haud eam inficias, coſtarum numerum contra naturam interdum variare tam in maribus quàm in fœminis. Nunc enim aliqua deficit, nunc redundat, Cùm enim coſtarum paria ſecundùm naturam ſint duodecim, fit tamen interdum, ut tredecim, interdum ut undecim nulla ſexus habita ratione reperiantur, ut exemplis teſtatur Columbus de re anatom. libr. 1. cap. 19. idque fieri autumat pro materiæ copia vel inopia, quemadmodum in manuum quoque digitis obſervamus. Sed niſi alia præter hanc ſubeſſet cauſa, cur non partium proximarum potiùs magnitudini & corpulentiæ ex redundanti illa materia aliquid accederet, quàm coſta aliqua vel ſextus digitus naſceretur?

ÆNIG-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA XIV.

Ala mihi levibus non ſit licet obſita plumis,
Docta per aërias ſum tamen ire plagas.
Haud natura mihi roſtrum dedit ingluviemque,
Sumo tamen veſcas conficioque dapes.
Non ovum pario, ſed quid perfectius ovo.
Nox eſt apta meis, lux ſed inepta viis.

SOLUTIO.

ALas habet veſpertilio, ſed membranaceas & pennis vacuas, volatui tamen aptas. Caret roſtro & ingluvie, qualibus præditæ ſunt aliæ aves. Eorum autem loco os habet, quo cibum ſumit; & dentes, quibus ſumptum comminuit; & ventriculum, in quem comminutum ſine ingluviei diverticulo recondit. Una volucrum non ovum, ſed vivum animal parit, quod lacte nutrit ubera admovens. Unde apud Varronem veſpertilio de ſe ipſo: *Factus ſum veſpertilio: neque in muribus planè, neque in volucribus ſum.* Interdiu non volat, niſi exterritus & coactus. Plinius culices in cibatu eis gratiſſimos eſſe ait; quos noſtratibus veſpertilionibus nemo invideret, ſi carnibus & lardo abſtinerent, perniſque perniciem inferre deſiſterent. Ipſum nomen originem ſui indicat, quòd veſpertilio non niſi veſperi naturæ ſuæ inſtinctu volare incipiat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Ovidius 4. metam. fab. 12. de Mineïdibus in veſpertiliones verſis ſcitè eorum figuram, naturam & denominationem ob oculos ponit his verſibus:

Fumida jamdudum latitant per tecta ſorores,
Diverſaque locis ignes & lumina vitant:
Dumque petunt tenebras, parvos membrana per artus
Porrigitur, tenueſque includunt brachia pelles.
Nec, quâ perdiderint veterem ratione figuram,
Scire ſinunt tenebræ, non illas pluma levavit:
Suſtinuere tamen ſe perlucentibus alis.
Conatæque loqui minimam pro corpore vocem
Emittunt: peraguntque levi ſtridore querelas.
Tectaque, non ſylvas, celebrant: lucemq; peroſa
Nocte volant: ſeroque tenent à veſpere nomen.

Non abs re puto, hoc in loco admonere, in America eſſe genus quoddam veſpertilionum, qui non contenti carnibus eorum animalium, quas homines ad victum expetere, & condîtas vetuſtati mandare ſolent, de nocte dormientium hominum partes veſtibus denudatas adoriuntur & roſtris vulnerant, humani ſanguinis, cujus avidiſſimi ſunt, exſugendi gratiâ.

Cæterùm, morſus iſtiuſmodi veſpertilionum in quibuſdam regionibus tam levis eſt, ut haud perſentiſcat is, qui morſum ſuſtinuit, neque ſe ſaucium ſciat, quoad lectus ſanguine perfuſus manè indicium vulneris faciat. Aliis tamen

tamen in provinciis non ſine dolore eſt, ſtatimque ut dentes infixi ſunt, ejus ſenſu proditur. Extant hæc ſcripta apud Benzonem lib. 2. cap. 14. & Lerium navigat. in Braſiliam cap. 11.

Johannes Stadius hiſtoriæ Braſilianæ parte tertia cap. 34. refert, veſpertiliones iſtos capita & pedes dormientium potiſſimùm infeſtare, & cum particulis carnis mordicus avulſis avolare: quod utique ſine dolore ferri nequit.

Non igitur de nihilo eſt prorſus, quod poëtæ de ſtrigibus ſunt fabulati; eſſe aves nocturnas, humana corpora, præſertim verò infantium, appetentes, eorumque ſanguinem exſorbentes. Meminit earum Ovidius lib. 6. Faſtorum; Lucanus lib. 6. Pharſaliæ; Horat. in epod. Ode 5. aliique. Plinius lib. 11. cap. 39. conſtare non arbitratur, quæ ſit avium ſtrix, fabulamque ſubeſſe ſuſpicatur.

Ad veſpertiliones redeo, &, quod ſequitur, appendicis loco addo. *Ad Catigan inſulam maris Sur*, inquit Scaliger exercit. 237. diſtinct. 3. *ſunt veſpertiliones quanta aquila; eſitantur ab indigenis, gallinæ ſapore. In ſpecubus Atlantis montis ſunt veſpertiliones, quorum corpora columbos æquant noſtros: Ad flumen Gumbræ ternos palmos implent.* Clariſſimus vir Doctor Moſanus aulæ Caſſellanæ medicus ex Belgio Caſſellas veſper-

tilionem exoticum tulit, cujus alæ, quà longiſſimè patent, expanſæ cum ventre longitudinis ſunt ſeſqui-ulnæ circiter.

ÆNIGMA XV.

Dic quibus in terris ſe in flores induat arbor,
Quos tenebræ generant interimitque dies?

SOLUTIO.

IN urbe Goa & in Malacca iſta arbor naſcitur, atque inde in alias quoque Indiæ regiones tranſlata atque tranſplantata fuit, ut teſtatur Joh. Hugo Linſcotanus in ſua in Indiam Orientalem navigatione cap. 59. His autem verbis ab eo deſcribitur: *Arbor illa, quam triſtem indigitant, quòd non niſi nocte efloreſcat, toto anni tempore, inter miracula computari poteſt. Cùm enim ſole occidente nullus appareat flos, mox poſt horæ medium floribus multis conſpicua aſpectum pulchritudine, nareſque odoris ſuavitate admodum replet. Sole revertente flores iidem decidunt, terramque omnem tegunt, quaſi in luctum & internecionem arboris, quæ deinde poſt ſolis occaſum rediviva ſingulis anni noctibus vicibus ſuis floreſcit. Eſt ea pruni magnitudine, expetita in areis ob odoris ſuavitatem, facili incremento. Nam detruncata etiam poſt ſex menſes ſtatim à virgultis flore crebro pullulat. Inde & ramus avulſus, ſi terræ inſeratur, flores ſuos multipliciter*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

abjicit & recuperat. Decanini eam vocant *Pariſatico*, originemque nominis fabulâ explicant, quam hîc æquus lector mihi permittat narrare.

Fuit nobilis quidam Pariſatico dictus, cujus pulcherrima filia Solis petebatur amoribus, à quo tandem deſerta ex mœrore & deſperatione manus violentas ſibi attulit. Cadaver poſtea crematum & in cineres redactum fuit, ex quibus hanc arborem natam fingunt, quæ etiamnum præ indignatione Solem florum ſuorum aſpectu dedignetur. Digna ſanè fabula, quæ Naſonis mutatis formis inſeratur.

Cluſius in figmento iſto non acquieſcens, flores ſole exorto decidere exiſtimat, vel ob antipathiam quandam, vel ob nimiam ſucci tenuitatem, quam Solis radii abſumant. Nam, quos Sol non attingit, diutius in arbore hærere ſolent. Sic apparet, phyſicas cauſas haud inelegantes incluſas eſſe in ridiculam fabulam.

Arbor ipſa Luſitanis dicitur *Arbore triſte de dia.* De eadem agitur in hiſtoria plantarum Rovilliana libro 18. cap. 89. ex Garcia ab horto, Chriſtophoro Acoſta Africano, atque aliis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA XVI.

Tu contrà mihi dic, ubi gignat in arbore flores
Lux oriens, quos nox proxima quæque necet?

SOLUTIO.

HUjus arboris picturam ibidem exhibet Joh. Hugo ſine deſcriptione tamen, appoſuitque nomen *Arbore triſte de notte*.

ÆNIGMA XVII.

Tangere ſi proprium eſt animalis, cur ego tactu
Prædita, non animal, ſed vocor herba tibi?
Contractis fugio foliis, ſi prendere tentes:
Prenſaque liveſco ceu moritura metu.
Auferto digitos, & priſca viredo redibit,
Et facies foliis, quæ fuit antè, meis.

SOLUTIO.

NOnnullis Aſiæ in locis invenitur, & in hiſtoria generali plantarum Rovilliana lib. 18. cap. 143. deſcribitur planta quædam, quæ vulgò herba viva nuncupatur. Ejus natura adeò obſcura altæque rationis eſt, ut ſupra hominem ſit, eam liquidò pervidere. Nam cùm maximè viret, oculoſque ſpecie gratiſſima oblectat, tum ſi quis veluti illam apprehenſurus manum admoveat, ilicò folia ſua contrahit,

hit, atque ſub tenues ramulos recondit: ſin manu etiam attingat, ſubitò ad primum tactum adeò marcida conſpicitur, ut exareſcere putetur. Et rurſus, quod majore admiratione dignum eſt, ſi manum is, qui tegigit, reducat, extemplò virorem priſtitium recuperat, totieſque adeò marceſcit & revireſcit, quoties aut manus ei admovetur, aut ab ea retrahitur. Quamobrem Plinius, qui urticis marinis ſenſum, ſpongiis autem intellectum attribuere non dubitavit, hanc admirabilem plantam ſenſu & intellectu præditam ſine dubio exiſtimaſſet, ſi ejus aliquam notitiam habuiſſet. Fama eſt, Philoſophum quendam in Malabar, dum nimls acriter & curioſè hujus plantæ naturam inveſtigaret, amentem eſſe redditum.

Ejuſdem herbæ, vel alterius huic ſimilis, Hugo Linſcotanus navigationis ſuæ cap. 61. mentionem facit, dicitque herbam eſſe Indiæ, appellarique à Luſitanis *Sentida*; quæ vox, ut ipſe interpretatur, idem valet quod *Sentiens*. Hæc ad omnem jactum tactúmve ſalis aut pulveris folia claudit, eaque non niſi poſt diſceſſum jacientis tangentíſve reſerat, ac denuò contrectata claudit mirabili prorſus experimento.

Huc pertinet Arbor Pudica à Scaligero exercit. 181. diſtinct. 28. deſcripta, cujus octonûm circiter pedum eſt proceritas,

 oriturque

oriturque in provincia Pudiferam, rerumque acceſſum non minùs quàm ſuperiùs commemoratæ plantæ videtur ſenſu percipere. Appropinquante homine aut animali, ramos conſtringit: recedentibus, pandit. Prævenit igitur tactum tum ſenſu, ut putant, tum ſui, ut palàm videtur, ſubtractione, quoad poteſt. Quapropter aut afflatum eam percipere Scaliger autumat, aut radicis, propter ſoli motum, compreſſionem agitationemve. Atque hac de cauſa incolæ vocant *Arborem pudicam*.

Huic arbori affinem herbam prodidit Apollodorus Democriti diſcipulus: quam idcirco *Æſchynomenen* appellavit; quia admotam manum refugeret foliorum contractione.

Proximè ad horum ingenium accedit herba in Germania notiſſima, quæ vernaculâ linguâ Springkraut appellatur, quaſi *herba ſaliens*. Folia habet Mercurialis, flores flavos, ſiliquas oblongas & graciles; quas ſi quis vel leviſſimè attingat, in proximum quemque ſaltu impetum faciunt, quaſi ulturæ injuriam à tangente ſibi illatam. In herbariis Latinis vulgò *Noli me tangere* appellatur: Hiſtoria Plantarum generalis Rovilliana libr. 10. cap. 77. *Perſicariam ſiliquatam* vocat.

Non ineptè plantis, quibus ſenſus ineſſe exi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

exiſtimatur, adnumerantur ζωόφυτα, quæ nec animalium, nec fruticum, ſed tertiam ex utriſque naturam habent, urticas dico & ſpongias marinas. Urticæ enim marinæ, teſte Plinio libr. 9. cap. 45. noctu vagantur noctuque mutantur. Carnoſæ frondis his natura, & carne veſcuntur. Vis pruritu mordax, eademque quæ terreſtris urticæ. Contrahit ergo ſe quammaximè rigens, ac prænatante piſciculo frondem ſuam ſpargit complectenſque devorat. Aliâs marcenti ſimilis, & jactari ſe paſſa fluctu algæ vice contactos piſces attrituque petræ ſcalpentes pruritum, invadit. Eadem noctu pectines & echinos perquirit: dum admoveri ſibi manum ſentit, colorem mutat & contrahitur. Tacta uredinem mittit, paulumque ſi fuerit intervalli, abſconditur. Ora ei in radice eſſe traduntur: excrementa per ſumma tenui fiſtulâ reddi.

Bellonius lib. 2. de aquatilibus, urticam marinam ſcopulis littoralibus tam pertinaciter adhærere ſcribit, ut niſi primo impetu avellatur, vix poſtea, niſi in fruſta conciſa, abſtrahi poſſit. Mordacitatem quoque in ea agnoſcit, qualis in terreſtri ſentitur. In cæteris à Plinio plurimùm diſcrepat, quam diſcrepantiam tanquam ab hoc loco alienam, ſilentio prætereo, ubi ſatis eſt oſtendiſſe, ſine ſenſu urticas marinas non eſſe.

Reliquum eſt, ut ſpongias videamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Has Plinius ait naſci in petris: ali conchis, piſce, limo. Intellectum eis ineſſe, quia ubi avulſorem ſenſere, contractæ multò difficiliùs abſtrahantur: atque hoc idem fluctu pulſante facere. Quòd ſi ita ſe habet, haud ſanè video, quid Scaliger exercit. 181. diſtinct. 28. ſibi velit hoc dialogiſmo: *Spongia quare non præſentit acceſſionem urinatoris, ita ut illam Indicam* (arborem ſcilicet pudicam) *prædicant præſentire? An ſpongia cùm ſit in perpetuo ſalo, hebetatur à continuo motu, quo minùs ſupervenientis ſenſione afficiatur. Tempeſtatibus aſſueta ſine periculo nihil novi patitur à ſpongiſecæ novo motu.* Pugnare ſanè hæc cum antedictis videntur.

De urticis & ſpongiis marinis Ariſtotelem quoque conſulere licet lib. 5. de hiſtoria animal. cap. 16. & lib. 8. cap. 2. unde Plinius hæc ſua, ut alia quamplurima, transſumpſiſſe videtur.

ÆNIGMA XVIII.

Prædita ſum pennis, queîs corpus in aëre libro,
Et quasvis didici vincere præpes aves.
Cœpi ubi præduro volucrem pertundere roſtro,
Protinus it præceps, & moribunda tremit.
Si qua viis ales non auſa reſiſtere noſtris,
Parco: reſiſtentes impetuoſa neco.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

SOLUTIO.

SAgitta hoc ænigmate deſcribitur, cujus lateribus & dorſo illâ parte, quæ nervo applicatur, pennarum oblonga fruſtula alarum inſtar agglutinari ſolent, tum ut aërem tanto rectiore volatu tranſeat, tum ut in eo vibretur faciliùs. Fertur autem velociùs quàm ulla volucrum, proſternitque & præcipitat, quæ curſui ejus reſiſtunt: non reſiſtentibus parcit, illæſaſque præterit. Cæterùm cuſpides ſagittarum, quò duriores ſint, cornu plerunque aut ferro ſolidari ſolent.

Pennas & ferrum in miſſilibus deteſtatur Plinius lib. 34. cap. 14. de ferro ſic inter alia ſcribens. *Hoc exſtruimus tecta, cædimus ſaxa, omnes ad alios uſus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia non cominus ſolùm, ſed etiam miſſili volucrique nunc tormentis excuſſo, nunc lacertis, nunc verò pennato: quam ſceleratiſsimam humani ingenii fraudem arbitror. Siquidem, ut ocyus mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennaſque ferro dedimus.*

ÆNIGMA XIX.

Structurus mihi tecta adeo, quo proxima ſylva eſt,
Vt fabricæ ſumam materiam inde meæ.
Non operæ mihi ſunt, non inſtrumenta ſecandi
Ferrea, non ramos cadere docta manus.
Sternitur icta tamen, non vi, ſed ſæpe ſecando,
Arbor, & in terram me fugiente ruit.
Molior hinc gradibus diſtincta cubilia ternis
Abſque operis, ſerrâ, vecte, bipenne, manu.
Vt nive vel madidis undas augentibus auſtris,
In ſummâ ſedes ſit mihi ſicca domo.

SOLUTIO.

CAſtorem hæc fari, & hoc de ſe ænigma promere, finge. Hic, quia piſcibus alitur & ex aquâ vivit, in ripis fluminum receptus ſibi parat, ex quibus, cùm libet, ad piſcium venationem canis aquatior inſtar exit, prædâque actâ revertitur. Ad hos exſtruendos, frutices & arbuſculas dentium acie tanquam ferro ſuccidit, tamque pertinacis ingenii eſſe dicitur, ut quam ſemel arborem amputandam elegit, ab ea non deſiſtat. Cùm verò inter cædendum, arborem labefieri ſentit, quoties ictum facit, toties ſuſpectat, conſiderans, an ſit caſura. Timet enim, ne ſi eo ictu concidat, ejus ruina opprimatur priuſquam evadendi detur facultas. Illud ſuum receptaculum caſtor in duos treſve gradus ceu cameras diſtinguit. Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

parte poſteriore, id eſt, cauda & pedibus illi proximis, ad piſcis naturam quamproximè accedit. Siquidem in pedibus longiores digitos eoſque membranis ritu anſerinorum intertextos & ad natandum aptos; in cauda autem miro (ut ita loquar) artificio ſquamas depictas habet. Atque ideò has partes perpetuò aquis immerſas habere gaudet. Ergo ſi flumen ultra ſolitum inundaverit, in ſublimiorem cameram aſcendit: ſin iterum reſederit, recipit ſe in inferiorem, atque ſic utrique naturæ idoneo habitaculo fruitur. Quem caſtorem Græci, Latini fibrum dixere, ab extrema ora fluminis dextra & ſiniſtra. Antiqui enim *fibrum* dixerunt extremum, teſte Varrone lib. 4. de ling. Latina. Caſtoris hiſtoriam pleniùs deſcriptam dabit Geſnerus ſub eo nomine, Bellonius lib. 1. de aquatilibus, Georg. Agricola de animantibus ſubterraneis.

ÆNIGMA XX.

Lucius, indomito qui ſævit in agmina dente,
Quæ piſcina ſuo clauſa reſervat hero;
A quo piſcinæ, refer, enervetur alumno,
Vt ſummis animam reddat inultus aquis?

SO-

SOLUTIO.

RAna & Lucius odio inter ſe flagrant internecino. Alumnus autem ille piſcinæ luciique & domitor & victor eſt imbellis & viribus lucio longè inferior rana, ideoque frequens ei & præda & eſca. At calliditate innatáque ex occulto hoſtem invadendi dexteritate rana lucio longè eſt ſuperior. Hac eò eum redigit, ut ſe ipſum conficiat & exanimet. Qua de re Dubravius jucundum ſpectaculum, quod ad vivaria arci Cremiſirienſi ſubjecta cum Staniſlao Thurzone viderit, recenſet. *Deliteſcebat*, inquit, *in latebris ripæ vivarii inimica lucio rana. Cum fortè lucius otioſo ſimilis, levi caudæ motu ſummas vivarii aquas ultro citroque ſulcaret, quoad tandem ad locum, quem inſidiis faciundis rana cepit, propiùs appelleret: non omiſit bene gerendæ rei occaſionem rana: ſed ſimulatque facultatem aſſiliendi hoſtis ſibi oblatam vidit, ita ut erat ſinibus buccarum inflatis, oculiſque præ ira flagrantibus, repente in caput illius inſilit, lateque divaricatis pedibus frontem circumplexa (vide ſolertiam animalculi) in ipſos præcipuè oculos lucii invadit, molliſſimaſque & chariſsimas partes lancinat. At ille dolore exagitatus modò citato per undas curſu ferri, fluctuſque circum ſe concitare: modò fruticum & arundinum, quæ in vivario ſubnatæ emicabant, attritum quærere, ſi*

quo pacto malè conciliatum nullarumque per ſe virium inſeſſorem fronte excuteret. Cæterùm omnes ejus conatus incaſſum cædebant: tam mordicus frontem rana obtinebat, tamque pertinaciter pœnas ab avidiſsimo corporis ſui vexatore exigebat, donec torpeſcentibus ex multa lucta viribus ipſe lucius victus ſuccubuit, ſeque ranamque unâ in ima gurgitis demerſit. Adhuc nobis omnibus, qui aderamus, eodem loco ſubſiſtentibus luctatoreſque (qui jucundum nobis ſpectaculum de ſe exhibuerant) oculis requirentibus, ecce tibi rana ſubitò in altum exilit, moreque victorum ovans, coaxans vitulanſque rurſus ſe in palatia ſua recepit. Imperat extemplò Thurzo acciri piſcatores, qui lucio retibus invento in lucemque prolàto, cognoſcendi poteſtatem facerent, quidnam cum illo demerſo actum eſſet: atqui miſer ille utroque lumine orbus extrahitur, non ſine omnium noſtrûm admiratione. At piſcatores vetant cauſam mirari, ſe enim crebrò talibus certaminibus intervenire, & ſæpenumerò à ranis lucios excæcatos atque eoſdem emaciatos piſcari: quoniam amiſsis oculis venari ſibi piſces nequeunt, ſed ſterili tantùm arenâ ventres ſaburrant. Ex Dubravio Freigius in Phyſices ſuæ librum trigeſimum tertium hanc hiſtoriam tranſtulit.

ÆNI-

ÆNIGMA XXI.

Ferre queo lapides, nec ferrum ferre recuſo:
Æris & argenti pondera nulla puto.
Nec gravitas oneri eſt mihi, quamvis maxima, plumbi:
Aut, ſi præterea quid grave mundus habet.
Vnum humeris ſi quando meis imponitur aurum,
Succumbo, & dorſum frangitur inde meum.

SOLUTIO.

ARgento vivo (quod ὑδράργυρον Græci appellant) ſi ferrum, æs, plumbum, argentum commune, aut id genus alia quamtumlibet ponderoſa corpora injeceris, ei innatabunt: ſin aurum injectum fuerit, confeſtim ſubſidet & in ima decidet.

Vel ſi mavis audire loquentem Vitruvium, ejus hac de re lib. 7. de architectura cap. 8. hæc ſunt verba: *Cùm in aliquo vaſe argentum vivum eſt confuſum, ſi ſupra id lapidis centenarii pondus imponatur, natat in ſummo, neque eum liquorem poteſt onere ſuo premere, nec elidere, nec diſſipare. Centenario ſublato, ſi ibi auri ſcrupulum imponatur, non natabit, ſed ad imum per ſe deprimetur.*

Quamobrem verò hoc eveniat, haud facile eſt explicatu. Tametſi enim aurum cæteris metallis omnibus citra controverſiam ſit gravius; tamen nec ſoli ipſius gra-

vitati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

vitati imputandum quòd ſubmergitur, nec cæterorum levitati, quòd natant. Alioqui lapis centenarius citiùs, quàm auri ſcrupulum mergeretur. Vitruvius loco citato, *Non amplitudine*, inquit, *ponderis, ſed genere gravitatem rerum eſſe, non eſt negandum*, quorum verborum obſcuritatem tali interpretatione Philander declarat, non magnitudine & mole rei æſtimandam eſſe gravitatem, ſed ut quæque denſior & compactior eſt: quaſi dicat, aurum ob denſitatem ad fundum tendere.

Sed hanc rationem redarguit aurum in tenuiſſima folia diductum, eaque tam levia, ut niſi probè cuſtodias, leviſſimo etiam aëris impulſu diffientur. Hæc enim quantumvis tenuia & levia, tamen in argentum vivum conjecta deſcendunt, ab eoque ceu gurgite quodam abſorbentur.

Quapropter alia ejus rei cauſa præter jam dictam eſt indaganda, & illud peculiari inſuper concordiæ, quam aurum cum argento vivo habet; hoc autem diſcordiæ, quâ deſſidet à reliquis metallis, acceptum eſt ferendum. In hunc ſenſum Plinius lib. 33. c. 6. de argento vivo ſcribit: *Omnia ei innatant præter aurum. Id unum ad ſe trahit.* Et Levinus Lemnius libr. 2. cap. 35. *Cùm omnia*, inquit, *metalla reſpuat, ſolo auro afficitur eique commiſcetur.* Paracelſus vice verſâ argentum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

tum vivum ab auro trahi paſſim docet, quod eodem recidit.

Hujus concordiæ documenta extant apud illos, qui argentum vivum aliúdve metallum auro incruſtare & obducere in animo habent. Hi enim Mercurium (Chymiſtæ ſub hujus planetæ nomine argentum vivum intelligunt) auro certâ ratione priùs miſcent, ut ad opus propoſitum obſequens & idoneum reddant, metalliſque, quibus volunt, inducant. Quod itaque Lucretius lib. 6. ait,

Deniqueres aurum argento concopulat una:

De argento vivo non ineptè accipi poteſt, licet Lambinus de chryſocolla accipendum putet.

Notum etiam eſt, lue venerea infectis, ſi aliis remediis ſanitatem non conſequantur, Mercurium ceu mali iſtius extremum alexipharmacum adhiberi ſolere. Plerique tamen eorum, qui ad hoc remedium confugiunt, in Scyllam incidunt, dum Charybdim vitare volunt. Etenim Mercurius noxiâ ſuâ ac penetrabili vi in corporis intima clanculum irrepit, in eoque tam atrocia ſymptomata excitat, ut pro hoſte potius, quàm amico ſit habendus, ac proinde ſatius foret opem ab eo nunquam fuiſſe petitam.

Quamobrem haud mirum, quibuſdam, qui

qui ad morbum venereum expugnandnm vel ſuffumigiis ex Mercurio confectis, vel unguentis, vel pilulis quas deſperatas vocant, uſi fuerant, drachmas aliquot Mercurii cum ſanguine è venâ inciſá profluxiſſe: ut taceam, in ipſis etiam oſſium cavernulis poſt inunctionem conſpectum eſſe. Cardanus, tanquam teſtis ſecundæ notæ, lib. 5. de ſubtilitate narrat, non quidem vidiſſe ſe, ſed audiviſſe, argentum vivum duarum unciarum pondere inventum in calvaria mulieris cujuſdam, quæ necquicquam agentibus medicis ex diuturno capitis dolore diem obierat. Studioſa hæc venuſtatis, quò pulchriore eſſet capillitio, fucum ex Mercurio paratum capiti admovere conſueverat, atque inde Mercurium per occultas vias ingreſſum in ipſum cranium collegerat.

Itaque illi, qui caput unguentis, quibus Mercurius miſcetur, illinunt, ut vel pediculos enecent, vel ſcabiem exſtirpent, modum eâ in re teneant, caveantque, ne, quos è fumo eripere volunt, in flammam conjiciant.

Porrò ubi Mercurii in corpore ex medicatione collecti ſuſpicio incidit, nullum præſentius eſt remedium auro, Id verò in ſcobem redactum Falloppius de morbo Gallico cap. 77. exhibet nunc cum liquore aliquo ſorbendum, nunc in pilulis deglutien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

glutiendum. Atque hoc auxilium ex Dioſcoride ſe didiciſſe ait, eo ſcilicet, quo de argento vivo tractat, capite: ubi tamen in græco textu (Aldino certè) nihil ejuſmodi legitur, quod & ipſemet Falloppius de foſſilibus cap. 37. fatetur. Eodem præcipiente expedit vel aureum numiſma vel annulum aureum in os immittere, in eoque linguæ adminiculo huc illuc volutare, quoad flavedine depoſitâ album colorem aſſumat: quod indicium eſt argenti vivi aliquam portionem auro jam adhæſiſſe, atque tunc aurum eximitur, pruniſque ardentibus imponitur, ut Mercurius igne reſolutus in auras abeat auroque priſtinus color redeat. Id verò, quò ſæpiùs repetitur, eo plus Mercurii os & fauces ſuapte etiam naturâ invadentis è corpore elicit ſecumque educit. Ejuſdem auxilii efficaciam Levinus Lemn. libro 2. de occult. nat. mir. cap. 35. & 52. prædicat. Falloppius inſuper auream laminam oſſibus applicat, in quorum cavernulas Mercurius ſubiit, ut hoc velut illice ex ſuis illis latebris evocetur, laminæque ſeſe agglutinans è corpore eliminetur. Quid? quòd Mercurius auri adeò eſt appetens, ut vel ſolo halitu citra manifeſtum contactum iis in locis, ubi copioſius eſt, in ipſum ſerpat, ejuſque nativum colorem albedine adventitiâ obliteret, id quod Cardanus ſuis annulis

nulis Mediolani in Nigrolorum officina contigiſſe lib. 5. de ſubtilitate conqueritur. Quò minùs eſt mirum, quòd vel corpori inunctus, vel ſuffiendo adhibitus, per occultos meatus in intimos membrorum ac viſcerum receſſus ſeſe penitus inſinuat, ex iiſque auri, cujus tanto deſiderio tenetur, beneficio elicitur.

Admiratione autem digniſſimum, nec oſcitanter prætereundum, cur illitu & ſuffitu tantopere corporis incommodet valetudini, cùm per ſe bibitus nullam illi noxam inferat. Datur enim tutò non modò vitulis verminantibus, quantum dimidio avellanæ cortice contineri poteſt, verùm etiam pueris, quibus lumbrici moleſti ſunt, quantitate trium milii granorum, atque id tum quoque, cùm ex aliis remediis ſpei nihil eſt reliquum, ſicuti autores ſunt Falloppius de foſſilibus cap. 37. & Antonius Muſa Braſavolus in ſuo de ſtirpium examine libro. Matthiolus etiam in ſuo commentario in cap. 70. libri quinti Dioſcoridis ait, Goritienſes obſtetrices, ubi gravidæ diu in partu laboraverint, ſtatim argenti vivi ſcrupulum citra ullum incommodum bibendum exhibere. Nec deſunt qui iliaca paſſione laborantibus dandum præcipiant, iiſque ſalutare eſſe prædicent.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Quæ cauſa ejus rei? Hæc opinor, quod integrum lubricum eſt. Lubricitate igitur ſuâ citiùs ventriculum & inteſtina percurrit, quàm erodere ea valeat. Adderem & gravitatatem, niſi ob varios inteſtinorum anfractus nunc deſcendendum illi foret nunc aſcendendum, priuſquam ad exitum perveniat.

Verùm ut eò, unde digreſſus ſum, pedem referam, apparet ex jam dictis, argentum vivum & aurum mutuo quodam ſeſe proſequi amore, ob eumque argentum vivum reliqua metalla averſari, ſolumque aurum veluti in gremium ſuum recipere, eoque ſe oblectare. Quæ verò ejus amoris mutui cauſa ſit, difficile eſt explicatu.

Ioſephus Quercetanus, Chymicorum hujus ſeculi facilè princeps, contra Aubertum ex intimis Chymiæ penetralibus hanc promit: Omnibus metallis materiæ loco ſubjici aquam quandam viſcoſam, quam Chymici propter conformitatem argentum vivum appellent: huic adjungi pinguem quendam ſuccum, quem ſulphuris nomine ob ſimilitudinem dignentur, idque ſulphur efficientis & formam introducentis partes obire. Naturam autem generationi metallorum operam dantem ſemper tendere ad perfectionem, hoc eſt, ad auri productionem, quippe quod ſolum inter omnia metalla ſit perfe-

ctum

ctum, cùm cætera ſint imperfecta. Ineſſe igitur ſulphur metallis, quamdiu perfectionem, hoc eſt, auri formam nondum ſunt adepta. Hæc verò introductâ, actionem ſulphuris cum ipſo ſulphure penitus exſpirare. Proinde ob ſulphuris admixtionem omnia metallà imperfecta igne perimi, denigrari, calcinari (ut loquuntur) & comburi præter aurum, quod unum ab omnibus iſtis corruptionibus fit immune, quippe quod omni ſulphure ſit vacuum. Quoniam igitur in auro præter aquam illam viſcoſam, id eſt, argentum vivum nihil remanſerit, eſſe tantam inter aurum & argentum vivum affinitatem, ut cùm cætera metalla argento innatent, ſolum aurum ad ſeſe trahat, & quaſi obviis ulnis complectatur.

Etſi verò hoc Chymicorum commentum argutum & vetus ſit: non tamen omnes ejus ordinis homines album ei calculum adjiciunt. Geberus enim in Summa ſua auro primitivum ſulphur adhuc ineſſe contendit. Idque ſulphur chymiſtæ fixum nuncupant, quia igne non violatur cæterorum metallorum more. Paracelſus etiam, ut ex multis locis paucos adducam, lib. de principiis, lib. 1. de natura rerum, & lib. 2. de morbis metallicis, tractatu 2. cap. 2. cap. 1. omnia metalla non tantùm ex ſale & Mercurio, verùm

verùm etiam ex ſulphure conſtare dicit. Cumque in aliis corporibus id quod ardet, ſulphur appellet; metalla autem non ardeant; in metallis id, quod ignitur & candeſcit, ſulphur nuncupat. De morte autem rerum naturalium lib. 5. ſulphuris ex auro eliciendi artificium dictat, ejusdemque ex auro ſulphuris pluribus in locis meminit. Nec deſunt Chymici, qui ſulphur ex auro aliis modis elicere ſeſe poſſe gloriantur. Liquet ergo ex Chymicorum quorundam ſententia, aurum ſulphuris expers non eſſe. Ut verò Quercetano largiamur, aurum ſulphure carere, ſolumque Mercurium in eo ſupereſſe: ergòne inde affinitas quædam, ut loquitur, exiſtit, cujus vi aurum argento vivo impoſitum eveſtigiò ſubmergatur & ſubſidat? Atqui antea dixerat, argentum vivum, ex quo metalla naſci credit, diverſum eſſe ab argento vivo vulgari. Experientiâ inſuper clarum eſt, argentum vivum & ſulphur non adeò aliena à ſe invicem eſſe, quin coire & cunjungi poſſint. Etenim ſi ſulphur contundas, poſtea in mortario cum argento vivo piſtilli ope aliquamdiu frices, argentum vivum minutiſſimis ſulphuris contriti particulis adhæreſcet, & in pulverem cum eo redigi ſeſe partietur. Concordiæ utique hoc argumentum eſt, non diſcordiæ. Quid multa? ut imperfecta, quæ Chymici vocant, metalla

Quer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Quercetanus conſtituat, ipſemet argentum vivum cum ſulphure copulare non dubitat. Atque de his hactenus.

In tranſcurſu argentum vivum cum plumbo liquefacto conferamus. Hæc colore primùm inter ſe conveniunt; deinde diffluendi modo. Tertiò particularum diffluentium conglobatione. Quartò & hoc, quòd in utroque teſtæ, ſilices, ferrum, æs, argentum commune fluitant. Diſſimilitudo in duobus potiſſimùm conſiſtit. quorum unum eſt, quòd plumbum liquefactum fervet: fervoris autem argentnm vivum eſt expers, imò prorſus impatiens. Nam hoc percepto eveſtigiò fit Mercurius ut cluet, velutique telaria induens aufugit & in auras dilabitur. Alterum eſt, quòd ipſummet etiam aurum plumbo liquefacto innatat, quod in argento vivo demergi diximus. Hiſce & hoc adde, quòd auro ſoliditas ſua non diu permanet, cùm plumbo liquefacto imponitur, ſed ejus fervore ſtatim diſſolvitur & ceræ inſtar liqueſcit: quod annotatum invenies à Levino Lemnio lib. 2. de occult. narur. mirac. cap. 35.

Conſentaneum videtur, priuſquam ab auro digrediamur, diſquirere, denſumne an poroſum ſit habendum, de quo diſcrepantes video doctorum ſententias. Mihi ſanè, cùm graviſſimum omnium ſit metallorum, neceſſe videtur, ut omnium etiam ſit denſiſſimum &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

compactiſſimum. In eandem ſententiam Matthiolus in commentar. in Dioſcor. cap. 70. lib. 5. *Aurum,*inquit,*ob ſui tum ingentem temperiem, tum unitatem, tum optimam mixtionem adeo denſum evadit, ut non modo quandam communem conſequatur permanſionem, ſed incorruptibilem ferè temperiem & cauſam quandam, ob quam nihil ſuperflui continere poſſit.* Quo magis miror, Levinum Lemnium lib. 1. de occultis naturæ miraculis cap. 17. aurum poroſum dicere, id quod falſo probat argumento, qnòd cyathus aquâ oppletus citra effuſionem aureos aliquot admittat, auro ſcilicet aquæ partem aliquam abſorbente. Non enim aurum aquam abſorbet imbibitque, ſed auro in cyathum demiſſo aqua ſupra marginem attollitur, rotundamq́ue figuram affectat. Id verò tum fit, cùm margo ſiccus eſt. Madefactus enim tantum aquæ ilicò effluere ſinit, quantum auro, imò cuilibet metallo vel lapidi, qui immittitur, reſpondet. Id quod experimentum Archimedis, quo furtum permiſti cum auro argenti deprehendit, clarè ob oculos ponit, de quo ſic Vitruvius lib. 9. cap. 3. *Arehimedis cum multa inventa & varia fuerint.ex omnibus etiam infinitâ ſolertiâ id, quod exponam, videtur eſſe expreſſum nimium. Hiero enim Syracuſis auctus regia poteſtate, rebus bene geſtis, cùm auream coronam*

votivam

votivam diis immortalibus in quodam fano conſtituiſſet ponendam, immani pretio locavit faciendam, & aurum ad ſacoma appendit redemptori. Is ad tempus, opus manufactum ſubtiliter, regi approbavit, & ad ſacoma pondus viſus eſt præſtitiſſe. Poſteaquam judicium eſt factum, dempto auro, tantundem argenti in id coronarium opus admixtum eſſe: indignatus Hiero ſe contemptum, neque inveniens qua ratione id furtum deprehenderet, rogavit Archimedem, uti in ſe ſumeret de eo cogitationem. Tunc is cùm haberet ejus rei curam, caſu venit in balneum, ibique cùm in ſolium deſcenderet, animadvertit quantum corporis ſui in eo inſideret, tantum aquæ extra ſolium effluere. Itaque cùm ejus rationem explicationis offendiſſet, non eſt moratus, ſed exilivit gaudio motus de ſolio, & nudus vadens domum verſus, ſignificabat clara voce inveniſſe quod quæreret. Nam currens identidem græcè clamabat εὕρηκα, εὕρηκα. Tum verò ex eo inventionis ingreſſu, duas dicitur feciſſe maſſas æquo pondere, quo etiam fuerat corona, unam ex auro, alteram ex argento. Cùm ita feciſſet vas amplum, ad ſumma labra implevit aqua, in quo demiſit argenteam maſſam. Cujus quanta magnitudo in vaſe depreſſa eſt, tantum aquæ effluxit. Ita exempta maſſa, quanto minus factum fuerat, refudit, ſextario menſus, ut eodem modo, quo priùs fuerat, ad labra æquaretur. Ita ex eo invenit, quantum ad certum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

pondus argenti certa aqua menſura reſponderet. Cùm id expertus eſſet, tum auream maſſam ſimiliter pleno vaſe demiſit, & eâ exempta, eâdem ratione menſurâ additâ, invenit ex aqua non tantum defluxiſſe, ſed tantum minus, quantum minus magno corpore eodem pondere auri maſſa eſſet quàm argenti. Poſtea verò repleto vaſe in eâdem aquâ, ipsâ coronâ demiſſâ, invenit plus aquæ defluxiſſe in argenteam quàm in auream eodem pondere maſſam, & ita ex eo quòd plus defluxerat aquæ in corona, quàm in maſſa, ratiocinatus deprehendit in auro miſtionem, & manifeſtum furtum redemptoris. Hæc Vitruvius.

Ejuſdem ſolertiæ meminit Petrus Meſſias de Sevilia Sylvæ variarum lect. parte 2. cap. 37. & Conimbricenſes in problematibus de terra.

Unde liquidum fit, totâ viâ erraſſe illum, qui ex eo, quòd aurum propter poroſitatem ſeu raritatem plus aquæ imbiberit, quàm argentum, Archimedem, quantum utriuſque metalli coronæ adulteratæ ineſſet, collegiſſe putat. Verùm hujus ænigmatis ſolutionem nimis operoſè & prolixè perſecutus ſum. Æquum igitur, ut aliud in medium dem, & ſi non aliâ re, ſaltem varietate ipſa legentium faſtidio medear.

ÆNI-

ÆNIGMA XXII.

Qui modò eram plauſtrum per humumque trahebar onuſtus,
Nunc vice defungor plauſtra trahentis equi.

SOLUTIO.

MUres alpini ſub terra ſpecus ſibi effodiunt, in quibus habitant, hyemeque obſtructis oſtiis conduntur, & obdormiſcunt. Pabulum in eas hoc modo convehunt. Unus humi in dorſum ſeſe ſternit, cruribus in altum erectis. Huic tanquam plauſtro cæteri pabulum, vel quicquid congerere libet, imponunt, ſupinumque caudâ mordicus apprehenſa ad ſpecum tanquam equi detrahunt. Per vices id faciunt, ideoque eo tempore detrito ſunt dorſo. Plinius lib. 8. cap. 38. marem & fœminam alternis ita pabulum, antequam in hyberna ſua ſeſe recipiant, convehere affirmat. In ea autem ſeſe recipiunt ſub hyemis initium. Verùm, ſi tunc, ut vulgò creditur, ſomno profundiſſimo obruuntur, nec ante veris ingreſſum evigilant, & inediâ totam hyemem in ſpecu tranſmittunt, cur tanto ſtudio ac labore per æſtatem ad victum neceſſaria procurant, atque, ſicut dixi, convehunt? Multos in eodem cavo cohabitare Geſnerus refert. Promiſcuè igitur invicem unus tra-

hitur, cæteri trahunt. Nec vel mari tantæ ſunt vires, ut ſolus fœminam ſic onuſtam; nec fœmina, ut ſola marem trahere valeat.

De quibus præter Plinium lege Georg. Agricolam de animantibus ſubterraneis, & Geſnerum in caſtore; quem eodem modo ligna convehere Olaus Magnus hiſtor. ſeptentrionalis libro 18. cap. 4. refert. Murem alpinum Germani Murmelthier vocant.

ÆNIGMA XXIII.

Plurimus eſt mihi pes: tamen hæreo ſemper eadem
Sede, nec amoveor; ni ferat alter opem.

SOLUTIO.

EST poëma Virgilii vel cujuſvis alterius poëtæ in codice deſcriptum, quod, etſi quamplurimis conſtet pedibus, locum tamen mutare nequit, niſi ab alio transferatur.

Auctuarii loco addo quod ſequitur. Factâ inter duos poëtas ſponſione, uter eorum verſus quamplurimis pedibus conſtantes faceret, alter hoc fecit diſtichon:

Mille boves paſcunt, vitulorum millia centum,
Muſca ſuper vitulo quolibet una ſedet.

& palmam omnium præſentium ſuffragiis reportavit. Namque computatis pedibus, quibus verſus conſtant, & boum & vitulorum & muſcarum pedibus adjectis, longè maximus pedum evaſit numerus. Sed jocoſum hoc.

ÆNI-

ÆNIGMA XXIV.

Dic quibus in terris (& eris mihi Pythius alter)
Una ferat piſces ſegeteſque feraſque lacuna,
Signa priùs rapidus quàm ſol duodena peragret
Adverſos agitans obliquo tramite currus?

SOLUTIO.

IN Carniola locus eſt depreſſus & excavatus, Lugæus olim dictus, quem Lazius lacúmne, an vivarium, an arvum appellet, neſcit. Is ſingulis annis frumentum, piſcationem, & venationem exhibet; vocaturque ab incolis Cyrkniʒerſee / id eſt, lacus Cyrknitzenſis, ab oppidulo vicino, cui nomen Cyrknitz. *Clauditur is circumquaque montibus, patet ad ſeſquimiliarium, minùs laxa latitudine; pleriſque in locis decem & octo cubitos altus eſt, & ubi minimùm profundus, æquat juſtam humani corporis menſuram. Ex montibus circumpoſitis rivi quidam ignobiles procurrunt, ſuo quiſque alveolo, ab orientali quidem plaga tres, ab auſtrali quatuor. Singuli quo longiùs fluunt, hoc minùs ſcatent aquis, terra nimirum ipſos cohibente, donec poſtremò abſorbeantur ſcrobibus ſaxeis, ita natis, ut humano opere exciſæ videri poſſent. (Argonautarum navigationis ſubter terram argumenta hæc putat Lazius.) Hîc aquis redundantibus, ut recipi non poſſint, fit, ut regurgitent ſcrobes, neque ſo-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

lùm nihil aquæ admittant, ſed etiam quicquid receperint, effundant tanta celeritate, ut refluxus impetum, equiti quamvis expedito & fugienti ægrè effugere liceat. Ita quacunque patet locus, diffunduntur aquæ, & lacum efficiunt. Hæ aquæ non minùs ferè celeriter recedunt, quàm acceſſerunt; ſed non per ſcrobes illas tantùm, ſed univerſa penè terra eas non aliter recipiente, quàm ſi per cribrum diffunderentur. Quod cùm fieri ſentiunt accolæ, continuò grandioribus ejus meatibus, quoad fieri poteſt, obſtructis, agminatim advolant ad piſcationem, quæ ipſis non modò jucunda, ſed etiam perfructuoſa eſt. Nam hi piſces ſale conditi magna copia ad vicinos exportantur. Porrò ſiccato lacu, fit meſſis, qua parte ſolum conſitum; & idem rurſus conſeritur, antequam inundet. Graminis ita eſt ferax, ut poſt vigeſimum diem ſecari ſoleat. Quis hîc ludentis naturæ miracula non ſuſpiciat? Vide Ortelium in ſuo theatro pag. 40. & Philippum Camerar. operarum ſucciſivarum lib. 1. cap. 62.

ÆNIGMA XXV.

Me licet haud quicquam pretioſius orbis haberet,
Attamen exiguo venditus ære fui.

SO-

SOLUTIO.

Domino noſtro Jeſu Chriſto nihil unquam in orbe terrarum pretioſius fuiſſe, apud Chriſtianos in confeſſo eſt. Eundem tamen Judas Iſcariotes, pretio triginta argenteorum illectus, nefandâ perfidiâ Judæis tradidit & quaſi vendidit, ſicut futurum ipſemet Chriſtus denunciaverat. Per argenteos autem intellige ſiclos non quidem vulgares aut regios, ſed illos, qui templi ſive ſanctuarii ſicli vocabantur, quales fuiſſe argumento eſt, tum quòd Judas eos à pontificibus & præfectis templi acceperat, tum quòd idem ſerâ proditionis ductus pœnitentiâ in templum eos rejecit. Sic ut autem ſiclus vulgaris pendebat argenti drachmas duas, regius autem tres: ita ſiclus templi ſive ſanctuarii pendebat drachmas quatuor, hoc eſt, unciæ ſemiſſem, quod pondus eſt dimidii thaleri imperialis. Ex quo infertur, triginta illos argenteos, quibus Judas ad dominum ſuum prodendum ſeduci ſe paſſus eſt, valuiſſe quindecim thaleris imperialibus.

Computationem hanc invenies in libello, quem Henricus Buntingus de moneris & menſuris ſacræ ſcripturæ poſteritati conſecravit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA XXVI.

Haud me, qui genuit, vidit pater, haud ego patris
Suſtineo vultus cernere nata mei.
Namque ego ſi vultus tentem ſpectare paternos,
Meque pater tentet cernere, nulla forem.
Quapropter mater medio manet inter utrunque,
Alteri & aſpectum ſubtrahit alterius,

SOLUTIO.

Corpus lucidum pater eſt, corpus opacum mater, umbra eſt filia. Umbra prædicat nec patri ſuo datum eſſe, ut ſe filiam aſpiciat; nec ſibi filiæ, ut aſpiciat patrem. Sicut enim fieri non poteſt, ut eo in loco ſit umbra, ex quo ſol videtur: ita nec fieri poteſt, ut quæcunque ſol aſpicit, hoc eſt, radiis ſuis illuſtrat, umbrâ tegantur. Quocunque igitur cadit umbra, corpus opacum interjicitur inter corpus lucidum & umbram, & alterum alterius intuitu in perpetuum privat.

ÆNIGMA XXVII.

Dic, quid gallina geniti ſic molliat ovi
Durum & rigentem corticem,
Vt teretis ſubeat, digitis ſi lenè prematur,
Anguſtias per annuli?

SO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

SOLUTIO.

HAnnibalem Carthaginenſium ducem ex Gallia per alpes invias in Italiam exercitum traducentem, rupem quandam, per quam una via eſſe poterat, infuſo aceto putrefeciſſe, alpeſque ſibi pervias feciſſe, Livius Decad. 3. lib. 1. ſcriptum reliquit. Cleopatra etiam, Ægypti regina, teſtibus Macrobio libr. 3. Saturnal. cap. 17. & Plinio libro 9. cap. 35. cùm Antonium ſumptuoſiſſimum comeſſatorem, &, quicquid mari aut terrâ gigneretur, ad ſatiandam ingluviem ſuam natum putantem, ſponſione provocaſſet, inſumere ſe poſſe in unam cœnam ſeſtertiûm centies; Antoniuſque, cui id mirum videbatur, non moratus ſponſione contenderet, pignus cuſtodiente Numatio Planco, ſive, ut à Plinio vocatur, L. Plancio: inter cœnandum phialam popoſcit, cui aceti nonnihil acris infudit, in idque unionem demptum ex aure alterâ demiſit, eumque maturè diſſolutum, uti natura eſt ejus lapidis, abſorbuit, eoque facto, ſponſione vicit; quippe cùm ipſa margarita centies ſeſtertiûm ſine contentione valuiſſet. Ad hujus exemplum aceto (cum artificibus loquor) deſtillato etiamnum Chymiſtæ margaritas macerant, ex iiſque tincturam ſubviridem extrahunt magiſterio perlarum, ut vocāt, conficiendo intenti.

Haud mirum igitur, ſi ovum diutiùs in aceto impoſitum fuerit, corticem ejus molleſcere ac diſſolvi, quod Vitruvius lib. 9. de architect. cap. 3. affirmat, confirmat uſus & experientia. Tam molli enim cortice eximitur, ut membranæ inſtar per anguſtias annuli, quo digitos ornamus, adigi poſſit, ut Levinus Lemnius lib. 2. de occult. nat. mirac. c. 36. & lib. 4. c. 14. annotavit, ſimilique artificio in urceum, cui ſtrictum eſt orificium, intruditur, ut à Cardano lib. 18. de ſubtilitate literis eſt mandatum.

Nec ignotum id fuit Theomneſto veterinariæ artis medico, qui equorum ex pulvere tuſſim ita curabat. Ova quinque aceto acri per noctem macerari, & manè, poſtquam exterior putaminis callus contabuiſſet, ac ſi ova precoci & intempeſtivo gallinarum partu edita eſſent, equi tuſſientis faucibus exertâ linguâ ingerere jubebat, eoque facto ſpondebat fore ut equus à tuſſi liberaretur. De quo Joh. Lang. li. 2. epiſt. 33.

Eſt & vino acrimonia quædam, ſed longè, quàm aceto, minor. Itaque ovum vino immerſum, arroſo nonnihil cortice, poſt noctis moram educitur, idque, quod arroſum eſt, cultro facilè abraditur. *Vulgus ſulphur eſſe putat, quo vina noſtrates ſolent condire. Itaque vino, quod de nimio ſulphure ſuſpectum habent, ovum imponunt; & tale,*

quale

quale dixi, eximentes, à ſulphure vacuatum exiſtimant. Quantopere autem fallantur, vel ex eo colligere licet, quòd id, quod ipſi pro ſulphure abradunt, ſi carbonibus ignitis imponatur, nihil fœtoris ſulphurei præ ſe ferat, ſed incenſam chartam potiùs oleat.

In magis tamen ridiculo errore ſunt illi, qui ſulphuris ſeparandi gratiâ, vinum chartâ flagrante accendunt, idque quod ardere vident, pro ſulphure ad condituram uſurpato habent. Nam ſulphur vino perfuſum non ardere, vel ipſimet facilè experiri poſſunt. Sin Chymiſtarum ſulphur intelligant; fateor lubens, illud ipſum eſſe id, quod in vino accendi idoneum eſt. Atqui in hoc ipſo omnis vini poſita eſt vis, eoque per ignem conſumpto, nihil niſi inſipidum & inutile phlegma remanet. Verum hæc quantumlibet à propoſitio aliena, intacta prætermittere non potui: quòd moleſtè ferrem, non ſolùm vulgaria, ſed etiam eximia ingenia in tam levem, ne dicam ineptam, opinionem aliorum perſuaſione incidiſſe.

ÆNI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA XXVIII.

Dic, uno tulerit quæ tot geſtamine fœtus
Fœmina, quot luces annuus orbis habet?

SOLUTIO.

ID editum eſt duabus inſcriptionibus, quæ in Cœnobio Lausdunenſi non procul ab Haga Comitis memoriæ & veritatis teſtificandæ gratiâ poſitæ ſunt, quarum altera Latina eſt, altera Belgica. Latinam ſubjungere placuit, ne lectoris rem tam admirabilem pleniùs cognoſcere cupientis exſpectationem fruſtrer. Ita autem ſe habet.

Margareta Hermanni Comitis Hennenbergiæ uxor, quarti Florentii Comitis Holandiæ & Zelandiæ filia, Guilhelmi Regis Romanorum, ac poſtea Cæſaris ſeu Gubernatoris Imperii, atq; Alethiæ Comitis Hannoniæ ſoror, cujus patruus Epiſcopus Trajectenſis, avunculi autem filius Dux Brabantiæ & Comes Thuringiæ. Hæc autem Illuſtriſſima Comitiſſa annos quadraginta duos circiter nata, ipſo die Paraſceves nonam circiter horam, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimoſexto, treeentos ſexaginta quinq; enixa eſt pueros, qui priùs à Guidone ſuffraganeo Trajectenſi omnes in duabus ex ære pelvibus baptizati ſunt; quorum maſculi, quotquot erant, Ioannes, puellæ autem omnes Eliſabetæ vocatæ ſunt; qui ſimul omnes cum matre

uno

uno eodemque die fatis conceſſerunt, atque in hoc Lausdunenſi templo ſepulti jacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex uno partu gemellos in ulnis geſtabat pueros, quam rem ipſa Comitiſſa admirata, dicebat, id per unum virum fieri non poſſe, ipſamque contumelioſè rejecit. Vnde hæc paupercula animo perturbata, ac perculſa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex uno partu ipſi imprecabatur, quot vel totius anni dies numerarentur; quod quidem præter naturæ curſum obſtupendâ quadam ratione ita factum eſt, ſicuti hîc in perpetuam hujus rei memoriam ex vetuſtis tam manu ſcriptis, quàm typis excuſis Chronicis breviter poſitum & enarratum eſt. Deus ille ter maximus hac de re ſuſpiciendus, honorandus ac laudibus extollendus, in ſempiterna ſecula, Amen.

ÆNIGMA XXIX.

Deſtituor rebus (nonne eſt res mira?) duabus,
Et tamen has aliis ſuppeditare queo.

SOLUTIO.

CErebrum licet nec ſenſu nec motu arbitrario præditum ſit: attamen ſenſus motusq; arbitrarii principium à medicis conſtituitur, hoc eſt, tale viſcus, à quo tum ſentiendi, tum pro arbitrio ſeſe movendi facultatem partes ſenſui ac motui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

deſtinatæ ſortiuntur. Siquidem cerebrum nec videt, nec audit, nec guſtat, nec odoratur, nec tangit: & videndi tamen, audiendi, guſtandi, olfaciendi, tangendi vi omnis à cerebro miniſtratur. Sine tactu eſſe cerebrum Coïteri obſervationibus Eraſtu antiparacelſicarum diſput. tom. 4. ſufficienter oſtendit, ubi hæc verba ex anatomicis ejus tabulis citat. *Admiratione ſumm dignum exiſtit; brutorum viventium cerebr detexi, vulneravi, & intactis nervis eorunden principio & ventriculis mediis illæſis, exemi: a nullum vel vocis, vel reſpirationis, vel ſenſus, ve motus offenſionis ſignum in iis deprehendi.* Iden Coïterus in epiſtola ad Eraſtum, *Cerebrum* inquit, *ejusque ventriculos ſenſu prorſus carer exiſtimo. Nam frequenter vulneratorum cerebri ventriculis ſpecilla abſque ullo doloris ſenſi immiſi.* Hæc ille.

De motu arbitrario idem judicium eſto Tametſi enim cerebrum moveatur ſive potiùs palpitet (ut tum in vulneribus cranii per quæ in conſpectum venit, tum in recen natis infantibus, quibus verticis oſſa in ſummæ inter cuncta animantia infirmitatis indicium nondum ſunt conſolidata, evidente apparet) motus tamen ille non eſt voluntarius, nec noſtro arbitrio gubernatur, ſed prorſus eſt naturalis: qualis eſt & cordis motus à quo motus cerebri vel dependet per arte-

rias

rias è corde in ipſum deſinentes, vel cerebro peculiaris & proprius eſt.

Ad eundem modum Phyſici certis de cauſis Solem in ſe calidum eſſe inficiantur, cùm tamen Solis radiis inferiora hæc corpora calefieri, evidentiſſimum ſit. Effectivè igitur Solem calidum ſtatuunt, (ut loquuntur) non formaliter. De quo Scaliger exerc. 74. & Zabarella de calore cæleſti cap. 1.

ÆNIGMA XXX.

Sum volucris: ſed perpetuò tamen hæreo terræ:
Non alæ tollunt corpus in alta meum.
Quando fugam meditor, fiducia ponitur unis
In pedibus: pennis non bene fido meis.
Abdo caput fugiens, & me bene credo latere:
Sic hoſti fio præda petita meo.
Si vis ingenii ſtomacho par eſſet, in orbe
Vinceret ingenium cuncta animata meum.

SOLUTIO.

STruthiocamelus, avium eſt grandiſſimus & penè beſtiarum generis. Haud volat tamen, nec à terra tollitur; ſecus quàm Manucodiata, quæ terram viva nunquam tangit. Pennæ illi ad hoc datæ ſunt, ut adjuvent currentem. Hinc volucri illi pernicitas, qua equum incitatiſſimum prævertit. Ungulas habet cervinis ſimiles. Non mirum igitur, quod Galenus lib. 3. de ali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

alimentorum facultatibus cap. 19. narrat, ſe, cùm adoleſcens adhuc eſſet, audiviſſe ſophiſtam quendam in utramque partem diſputantem, probantemque, Struthiocamelem nunc avem eſſe, nunc non eſſe. Porrò tanta Struthiocameli eſt ſtoliditas, ut latêre ſe exiſtimet, cùm collum frutice occultaverit. Quo nomine mugilum quoque natura videtur, in metu capite abſcondito totos ſe occultari credentium.

Concoquendi ſine delectu devorata ei vis mira ineſt; ut cui nihil ſit indomabile, ne ferrum quidem, ob caliditatem ventriculi ejuſque craſſitudinem, ſive, ut aliis placet, occultam potiùs ejus proprietatem.

Non deſunt tamen, qui vim conficiendi ferrum Struthiocamelis inſitam eſſe, adduci non ſe patiuntur ut credant. Quamvis enim ferro delectentur; tamen ſi paulò largiùs eo ſeſe repleverint, ægrotare incipiunt, & aut difficulter convaleſcunt, aut emoriuntur. In mortuorum etiam Struthiocamelorum ventriculis integra ferri fruſta, neque ullâ ſui parte immutata, eſſe reperta teſtantur illi, qui hujus rei cognoſcendæ cauſâ eorum cadavera diſſecuerunt, & rimati ſunt. Quin & vivi adhuc cum excrementis ferrum integrum, nullamque mutationis, quam in ventriculo ſubierit, notam habens ejiciunt. Præterea ſic argumen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

gumentatur. Ventriculi calor humidus eſt. At humidus calor in metalla non agit. Per humidum autem intellige humidum aqueum, non humidum pingue. Æquè enim olei fervore, quod humidum pingue eſt, liquatur plumbum, atque prunarum calore ſicco. In aqua autem quamlibet diu plumbum coxeris; nunquam tamen, ut liqueſcat, effeceris. Hanc ob cauſam Carrerius parte primâ quæſtionis, *an arte metalla tranſmutari poſſint*, fabulam vocat, quòd Struthio ferro nutriatur.

Verùm hæc argumenta confutare, haud magnum deſiderat laborem. Primùm enim notus eſt aphoriſmus Hippocratis quinquageſimus primus ſectionis ſecundæ, πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. Quod ſic reddidit Plinius lib. 11. cap. 11. *Perniciosum in omni vitâ, quod nimium.* Atqui Struthiocamelo nimium ferri devorare, quàm proclive eſt in tanta eorum multitudine, qui eos, videndi gratiâ, quotidie adeunt? Horum enim quotuſquiſque non ferri fruſtulum aliquod eis objicit, ut referre poſſit, vidiſſe ſe Struthiocamelum ferrum deglutientem? An mirum igitur, ex ferro ſupra modum ingeſto, Struthiocamelos langueſcere, & ſæpenumerò eo exceſſu in vitæ diſcrimen incurrere? Deinde haud inſolens eſt, in eorum animalium, quæ poſt mortem aperiuntur, ventriculis

repe-

reperiri ejus cibi, quem vivi aſſnmpſerant, reliquias, idque tantò contingit faciliùs, quantò cibus aſſumptus fuerit ſolidior. Sed & cibi ejusdem ſolidioris fruſtula nondum concocta interdum excerni quis ignorat? Utiqne canes aluntur oſſibus, & oſſium tamen fragmenta quædam ventriculi concoctionem effugere, & cum alvi fæcibus reddi manifeſtum eſt. Quantò magis igitur ferrum crudum adhuc, & nondum à Struthiocamelo mutatum, cum excrementis ejicietur? Quod de calore humido allatum eſt. etſi primâ fronte roboris aliquid præ ſe ferat; attamen

Hoc argumentũ, qui totũ explorat ad unguem,
Infirmum inveniet.

Laurentii Jouberti Medici Montis peſſulani hac de re ſententia eſt iſta. Ventriculos avium calore abundare, quòd præter pelliculam intus ventriculum ambientem, cibumque proximè attingentem, accedat caro craſſa, ut in anſeribus, anatibus & gallinis, cùm interanea eximuntur, videre licet. Quâ de causâ etiam grana duriuſcula ab iis confici poſſe putat. Imò gallinas lapillos illos, quos ſubinde devorant, quique in earum ventriculis inveniuntur, vi caloris ventriculo inſiti, emollire & in chylum convertere exiſtimat; tantum abeſt, ut Struthiocamelum calore ſui ventriculi ferrum mutare

are neget. Reperies hæc Decadis primæ paradoxo 8. Nec non in apologia pro paradoxo ſeptimo Decadis 2. Et in annot. in cap. 3. lib. 2. Galeni de naturalibus facultat. Denique in annotat. in librum Galeni de different. morborum.

Fidem huic Iouberti ſententiæ affert illuſtris cujusdam dominæ exemplum, Hæc, cùm unionem quendam, quem magno ære mercata fuerat, geſtatione decolorem fieri (quidam enim ſeneſcere eos, coloremque ſenſim exſpirare putant) animadverteret, eâque de re frequenter nunc apud hos, nunc apud illos quiritaretur, incidit in quendam, qui autor ei fuit, ut columbæ deglutiendum daret, in eaque per horas aliquot relinqueret, poſtea columbam jugulari, unionemque eximi curaret: tum calore ſtomachi columbini id vitium emendatum, unionemque priſtino nitori reſtitutum iri. Id cùm ſemel atque iterum cum pernicie duarum columbarum à credula domina tentatum eſſet, pravuſque ille ac vitioſus color in unione nihilominus permaneret: ille non unius atque alterius horæ, ſed plurium morâ ad hanc rem opus eſſe dixit, perſuaſitque, ut tertiæ columbæ intruderetur, in eaque in poſterum uſque relinqueretur diem. Tum verò exemptus multò apparuit deformior, quàm priùs, neque coloris tantùm, verùm

verùm etiam ponderis jacturam feciſſe, deprehenſus fuit; valde indignante Illuſtri Dominâ, quòd ab homine rerum imperito verba ſibi dari paſſa fuiſſet. Unde haud falsò collegerit aliquis, ſi diutiùs vixiſſet columba, totum unionem fuiſſe conſumpturam.

Ut autem ad ferrum revertar, & cætera exequar, quæ ad tractationem præſentem pertinere videntur, non video, cur fieri nequeat, ut id natura humido calore corrumpat & deſtruat, quod olim hnmidi caloris beneficio in terra produxit.

Neque tamen vi ſolius caloris ferrum à Struthiocamelo digeri, ſed calori occultam quandam facultatem Struthiocameli ventriculo ingenitam addendam eſſe exiſtimaverim: cui tanquam proximæ & principali cauſæ ferri digeſtio ſit adſcribenda. Hanc meam ſententiam Alexandri Aphrodiſæi autoritate ſtabilio, qui in procemio problematum ſuorum de hac re ſic ait: *Dicunt, & Struthiocamelnm ferrum concoquere, non proprietate quidem aliquâ, ſed caliditate; quod profectò eſt abſurdum. Leo enim, qui hoc animante calidior eſt, ferrum tamen non coquit.*

In hac igitur inexplicabili Struthiocameli proprietate, ferri concoquendi præcipuam cauſam eſſe non dubitaveris. Nec aliter ſenſit Horatius Augenius epiſtol. medicina-

dicina-

dicinalium tomi tertii libr. 7. epiſt. 17. cap. 6. ubi ait, concoctionem fieri partim à calore naturali, partim proprio. Calor naturalis, omnium viventium eſt communis: proprius autem ſic uni ineſt, ut non inſit aliis. Sic homini ſuus ineſt calor, qui non ineſt leoni vel urſo, cùm propria ratio mixtionis diverſa ſit in ſingulis. Hoc calore Struthiocamelus ferrum concoquit, coturuix helleborum, &c.

Sed ecce in mentem venit avis Eme ex Japonia in Hollandiam à mercatoribus allata, quæ non tantùm, quicquid rerum eſculentarum objectum fuit, deglutivit, ſed etiam ignitos carbones ſive prunas. Hanc de genere Struthiocamelorum fuiſſe, tum ſpecies externa, tum deglutiendi, quicquid objectum fuit, conſuetudo arguit.

Nunc ad aliud ænigma tranſeo, ſolutioni præcedentis diutiùs æquo & fortaſſe cum tædio lectoris immoratus.

ÆNIGMA XXII.

Quo te cunque agitas, ego te præeoque ſequorque.
Et tibi claudo ſimul parte ab utraque latus.
Quum tibi ſtare libet, libet & mihi ſtare, profectò
Tam domini obſervans nemo quit eſſe ſui.

SOLU-

SOLUTIO.

HOrizontem hæc loqui puta, qui circulus eſt conſpicuam mundi partem ab inconſpicua dirimens. Ideoque ſi in planitie aliquâ patenti circumſpicias, ibi eſſe fingitur, ubi cælum & terra mutuò ſeſe contingere videntur. Unde Macrobius lib. 1. in Somn. Scipionis cap. 15, *Horizontem*, inquit, *facit ſibi circumſpectio ſingulorum.*

Huic circulo duo attribuuntur poli, quorum alter eſt punctum vertici in cælo imminens, vocaturque Arabibus Zenith; alter eſt punctum pedibus in parte cæli adverſa directè ſubjectum, & Arabibus Nadir dicitur. Hæc puncta quoties mutantur, toties & Horizontem ipſum mutari neceſſe eſt. Mutantur autem quaquaverſum progrediaris. In quamcunque igitur orbis plagam greſſum facias, ſemper te Horizon & præcedet, & ſequetur, & utrinque latera tibi ſtipabit. Sin alicubi conſiſtas, & ipſe conſiſtet.

Hujus proprietates Georgius Buchananus libro 3. Sphæræ, deſcriptione elegantiſſimâ expreſſit, quos ſubjicere non alienum videtur.

Eſt etiam occulti dirimens confinia cæli
Circulus à noſtri, qui ſemper tangitur, orbis
Margine, Finitor vero cognomine dictus.
Nam quodcunq; ſupra eſt tellurem viſile cæli,
Finit

Finit ab inferna ſecluſum parte, Polumque
Dividit iu geminas æquali mole cavernas.
Harum ſub terris ſemper latet altera, ſemper
Altera conſpicua eſt, partes hic limes in omnes
Serpit humi, terræ extremis & cingitur oris.
Nec tamen immotâ ſeſe ſtatione coërcet,
Terrarum cælique affixus partibus iisdem:
Nec pariter mundo circumvolvente recurrit
Semper ad occaſum, roſeo fugitivus ab ortu,
Ceu reliquæ nitidũ, quæ cingunt æthera, ſpiræ;
Sed nunc Parrhaſiã ſenſim ſe flectit ad Arcton,
Nunc pluvios Auſtros; modò ſeſe inclinat ad Eurum,
Et Zephyros; fugit aut ſequitur veſtigia Phœbi,
Et veſpertinas Atlantis radit arenas,
Et quocunq; moves greſſũ, tecum illa movetur.
Et fugit & ſequitur cælum terrasq; recondens
Antè retrò condens, & quantum ſubtrahit unâ
Parte, aliâ reddit, cunctasque volatilis oras
Permutat, ſemperq; novus, ſemperque vetuſtus.
Finitor viſus viſu finitur, & omnem
Separat in geminas partes æqualiter orbem:
Si neque proſpectum montes vallesq; profundæ
Impediant, ſed camporum ſe libera planis
Lumina diffundant ſpatiis, & cuſpide viſus
Vndique porrectum feriant nullo obice cælum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA XXXII.

Tanta mihi tecum ſoror eſt concordia, ut icta
Cùm gemis, ipſa etiam, non licet icta, gemam.
Nec refert, ſpatio quòd ſum benè diſſita longo;
Nec, mihi cum ſenſu vita quòd omnis abeſt.

SOLUTIO.

PEr duas ſorores, quarum altera alteram in hoc ænigmate alloquitur, duas fides ejuſdem toni in diverſis teſtudinibus ſive inſtrumentis muſicis intellige. In his præclariſſimum concordiæ naturalis ſive ſympathiæ exemplum occurrit. Nam ſi unam digito pulſaveris, confeſtim ὁμότονος alterius teſtudinis vel inſtrumenti pulſatæ reſpondet & admurmurat, licet à nullo hominum tacta. Quod ut in oculos quoque incurrat, feſtucam illi, quæ non attingitur, impone; moverique eam alterâ ſonante, feſtucamque primùm tremefacere, & tandem excutere videbis. Quò ſonantior autem fides eſt, quæ tangitur, ut in chely (quam *violam* vocant) eò faciliùs ὁμότονος alterius inſtrumenti impellitur, ſimilique ſono remurmurat, feſtucamque veluti ſubſultantem dejicit.

Res eſt aſpectu jucunda, & à Johanne Langio lib. 1. epiſtol. 33. ex Boëthio annotata, & à Johanne Porta libr. 2. magiæ natur. cap. 25. inter alia mirabilia experimenta non prætermiſſa.

ÆNI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA XXXIII.

Paſcebat anſerum gregem
Perquam facetus ruſticus
Campi in virentis area:
Hujus caballo præpeti
Cùm præteriret paſcua
De gente eques non infimâ,
Sis ſalvus, inquit, ruſtice
Centumque paſtor anſerum:
Huic egit ille gratias,
Multam & ſalutem reddidit,
Sermone ſed non ruſtico;
Aitque, ſi plures duplo
Hoc anſeres in ceſpite
Viridi cibarem gramine,
Pluresque dimidio dehinc
Et parte quartâ denique,
Vnumque dictis adderem:
Centum anſerum paſtor forem,
Vt me ſalutans autumas.
Dic, ſi vacat, lector bone,
Quot anſeres ad pabula
Hic ruſticus deduxerit?
Si refugis huic impendere
Tenui laborem calculo,
Aut invenire non vales,
Omni labore jambicus
Te ſublevabit proximus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

SOLUTIO.

SOlutionem incluſi iſti verſui jambico trimetro,

VIgIntI eho VIX tot fVIſſe noVerIs.

In quo poſthabito ſenſu (namque is decipit, & divinationem difficiliorem reddit) collectis autem literis numeralibus, quas majuſculis characteribus ſignavi, invenies 36. Tot igitur anſeres ruſticus ille pavit. Hos ſi bis ſumas, erunt 72. Divide 36 in duas partes, & habebis 18. quibus ad 72 adjectis, erunt 90. Rurſum divide 36 in partes quatuor, & habebis novem. Hos adde ad 90, & erunt 99. Tandem adjice unum anſerem, & habebis centum.

ÆNIGMA XXXIV.

Diſtineo corpus, cujus milleſima non ſum
Portio, cumque hominis vola me comprendere poſſit,
Tot tamen humanis obnitor ſola lacertis,
Quot mihi vix credas, numerum ſi dicere coner.
Quin mare quum venti vaſto cum murmure miſcent,
Quod teneo, manet immotum & luctantibus obſtat.
Tanta mihi parvo virtus in corpore regnat.
Si me noviſti, quid ſim, cur dicere ceſſas?

SO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

SOLUTIO.

REmoram hoc ænigma de ſe ipſâ protuliſſe cogita. Ea parvus admodum piſcis eſt, quippe ſemipedalis, ſed tantâ vi pollens, ut navigia, quibus adhæret, ſtare faciat; idque nullo ſuo labore, nec alio modo, quàm adhærendo. Neque contra hanc vim remigantium conatus quicquam proficit. Ruantque licet venti, & ſæviant procellæ; ipſa tamen firmiùs navem tenet, quàm ulla vincula aut anchoræ pondere irrevocabili jactæ.

Fertur Actiaco prælio tenuiſſe Prætoriam navim Antonii properantis circumire & exhortari ſuos, donec tranſiret in aliam. Ideoque Cæſariana claſſis impetu majori protinus vênit. Tenuit Caii Caligulæ ab Aſtura Antium remigantis navim. Nec longa fuit illius moræ admiratio, ſtatim cauſâ intellectâ, cùm è tota claſſe quinqueremis ſola non proficeret. Exſiliverunt igitur protinus, qui id quærerent circa navim, & invenêre adhærentem gubernaculo, oſtenderuntque Cajo indignanti, hoc fuiſſe, quod ſe revocaret, quadringentorumque remigum obſequio contra ſe incederet. Conſtitit, peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuiſſet, nec id polleret in navigium receptus. Qui tunc poſteaque vi-

dere, eum limaci magnæ ſimilem eſſe dicunt. *E noſtris*, inquit Plinius, *Latinis quidam Remoram appellavêre eum. Græcis*, inquit, *Echeneis appellatus, quòd hoc carinis adhærente tardiùs ire creduntur, inde nomine impoſito.* Hæc ille partim lib. 9. cap. 25. partim lib. 32. cap. 1.

Eundem piſciculum deſcribit Bellonius lib. 2. de aquatilibus. Geſnerus in hiſtoria animalium diſcordantes autorum de eo narrationes congeſſit. Verùm, quoniam illi non niſi vetera tradunt, & fabulis propemodum ſimilia: ſubſignabo novam & veteram de Remora quadam, quæ à Plinianâ illâ & Bellonianâ plurimùm differt, hiſtoriam, quam his verbis Johannes Hugo navigat. ſuæ, cap. 48. recenſet.

Cæterùm quia piſcium hic inita narratio eſt, hiſtoriam piſcis admirabilem haud impertinenter referam. Illam multi vel ſupra fidem veri æſtimabunt. Sed pictura in palatio Viceregis, teſtimoniaque teſtium probatorum veritatem firmabunt: cùm nomen agnomenque ducis, navis, annus, dies &c. adſcripta ſint, multis, qui in eâdem navi fuerunt, etiamnum viventibus, quòd recens hiſtoria ſit.

Res hæc eſt. Navis quædam ſolito curſu Moſſambicquæ ex Luſitaniâ Indiam petebat, ſecundo vento veliſque turgidis, optimo ſtatu, ad lineam directa navigatione. Cùm autem 14. dierum

ſpacio

ſpacio eundem ſemper curſum tenuiſſet, nihil tamen proficiebat; & dinumeratione graduum facta, apparebat retroceſſiſſe navem, ſumma omnium admiratione; cùm & tempeſtas faveret, & experientia docuiſſet, nullos in eâ parte maris fluctus eſſe, qui navigationis felicem tractum impedirent. Itaque ſtupentibus cæteris, & incantationis aliquam vim occultam ſuſpicantibus, fortè Celeuſtes proram diligentiùs inſpexit, ibique caudam magnam latamque piſcis animadvertit, qui proram flexu obtinebat curvatæ caudæ, cæterumque corpus, ſub carina tendens, capite clavum ſubibat, contraque omnem ventorum vim navem morabatur, retroque trahebat. Eum magna contorum vi navales ſocii detraxerunt, caudaque ſoluta, navis bono ferebatur ſucceſſu. Pictura in Proregis palatio memoriæ cauſa extat; ibi ſæpe nomen ducis, annique notas legi, ſed nunc exciderunt. Hæc ille.

Cæterùm de vi, quâ Echeneïs navibus moram injicit, inſignis extat locus apud Scaligerum exercit. 218. diſtinct. 8. ubi recentiorum hanc ſententiam eſſe ſcribit: Non ab Echeneïde navim cohiberi, ſed Echeneïdem eſſe ſignum ſcopuli, qui ſubſit in aquis: cujus ſaxi vis navem remorari valeat, quaſi dicere velit; Scopulum illum eſſe ex Herculeo lapide, qui clavos avellere nequeat: navim tenere queat. Verùm aliter Scaligero videtur. Majore namq; robore opus eſſe dicit, ad

ad navim retinendam, quàm ad extrahendum clavum. Hoc ſanè faber unus fecerit; illud multi tentabunt fruſtra. Ad hoc, cùm plurimæ naves eâdem fecerint iter; una tantùm fuit immobilis: idque plenis velis: cùm aliæ puſillo remorum nixu tranſmitterent. Quocirca aliam ad cauſam tranſeunt. Echeneïdem ita navi adhæreſcere, ut avelli nequeat, propter vacuum. Echeneïdem verò habere cum ſubjectis illis cotibus affinitatem, ut mutuò atomorum illarum, quas emitti ajunt, nexu conjungantur. Quo equidem loco, quid vacui ſubſequi poſſit, amotâ exiguâ beſtiolâ, neſcire ſe ait Scaliger. Tum, ſi cum illis cotibus eam habet conjunctionis neceſſitudinem: quærit, quibus naturæ novis legibus veterem illam, propriamque erga ſcopulos illios propenſionem, cum hac adventitiâ, novitiæque navis cohæſione commutârit? Ab illis enim ſeſe abſtulit ſuis familiaribus, ut inferret navi peregrinæ. Scaligero igitur ſic videtur: Quemadmodum à torpedine ſtupor impingitur manibus, etiamſi non tangatur etiam per lineam ſubiens (neque enim fabulæ ſunt) ita & motui navis ab illa beſtia. *Neque verò ſine ſubilitate,* inquit, *ſunt hæc prætereunda. Propter officium ſunt immutabilia quædam ſemper, ut poli. Quædam ratione loci, velut terræ pars, quæ in centro eſt. Nunquam*

quam enim movebitur naturaliter. Contrà, officio quædam ſemper mobilia, ut cælum. Quædam naturâ loci, ut flumina. Ita quibuſdam eſſe movendi poteſtatem, ut magneti: aliis contrariam facultatem. Videlicet ejuſmodi ſunt, quæ motu privant, ut Echeneïs Ratio autem in principiis. Quia ſicuti quies & motus ſunt contraria: ſic ſunt horum efficientes quædam cauſæ contrariæ. Neque reddi ratio poteſt, cur calori frigus adverſetur. Sic ne in illis quidem, cur ea, quæ principia in ſe habent effectiva motus, moveant, quæ quietis, faciant quieſcere. Nemini comperta ſunt in igne caloris principia, ita in Echeneïde, quæ ſint principia quietis. Nam ad manifeſtas omnia deducere qualitates, ſumma impudentia eſt. Id quod Alexandreï multi & fruſtra conati ſunt, & temerè inſtituerunt. At ſaltem in venenis exempla noſtra decuit conquieſcere. Eorum nanque multa diverſas habent ab elementorum qualitatibus proprietates, quæ omnino latent animos temperatos, illudunt curioſis. Iidemque iſti, qui ſeſe putant cuncta ad certas cauſas reducere manifeſtas: tandem huc ſe devolvunt, ut dicant, in oculis hominis & catablepæ eſſe principia contraria. Et tandem irrident illi ſalutare aſylum illud occultæ proprietatis. Hactenus Scaliger, cui tamen non alia Echeneïs fuit nota, quàm quæ navibus moram duntaxat injicit, cujuſmodi à Plinio commemoratur: non item ea, quæ

navem etiam retraxit, qualem Johannes Hugo commemorat. Ut igitur illi inſunt effectiva principia quietis ex Scaligeri ſententiâ: ita huic principia effectiva motus ineſſe oportuit, & ejus quidem motus, quo corpus retrahitur.

Sed quid occultas cauſas prætendimus, ubi manifeſtæ ſcilicet copia eſt? Plutarchus libro 2. Sympoſ. quæſtione ſeptimâ hanc de remora diſſertationem ſic exequitur. Chæremonianum Trallianum aliquando, cùm omnis generis piſciculi eſſent appoſiti, unum ex iis oſtendiſſe acuto capite & prælongo, eique ſimilem dixiſſe echeneïda, eumque piſciculum ſe vidiſſe, quum mare Siculum navigaret, miratumque ejus vim, quòd navigationi haud exiguam tarditatem moramque injeciſſet. Ibi cùm alii Chæremonianum, tanquam nugatorem riderent, alii ad occultas ἀντιπαθείας confugerent, Plutarchus, *Hoc*, inquit, *eſt ſubterfugere quæſtionem, non exponere.* Suam autem ſententiam ſubjicit, quæ talis eſt: multa accidere rei, quæ rei tamen cauſa nullo modo ſint; ut ſi quis exiſtimet, viticis flore uvas reddi maturas, quia florente vitice uva matureſcit. Similiter navi contingere, ut eat tardiùs, & remora ei adhæreſcat: nec tamen alterum alterius cauſam eſſe: imò utrumque ab unâ eademque cauſâ exiſtere. Navem enim, quandiù ſicca eſt,

levio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

leviorem eſſe, & fluctus facilè dividere; poſtquam verò multum humoris combibit, algaque & muſcus ei adhæſit, tum impetum ejus retundi; partim ob gravitatem navis, partim ob adhærentem algam muſcumque. Atque ideò naves detergi ſolere, ut ab algâ muſcoque liberentur. Hiſce igitur propter lentorem agglutinari remoram, eamque repertam tardioris curſus cauſam exiſtimatam fuiſſe, cùm tamen accidens potiùs eſſet cauſæ tarditatem efficientis. Verùm hoc admiſſo, meritò quæſiverit aliquis, cur ex tota claſſe Caii Caligulæ, de qua Plinius, ſola illa triremis non profecerit, cui remora adhæſerat? an ea ſola aquam combiberat, algâque & muſco obducta erat? Cur remorâ inventâ, & in navem receptâ, navis ſecundo curſu ferebatur? Quid? quòd remora à Hugone Linſcotano memorata, non tenuit, ſed retraxit navem? Quapropter Plutarchus falſam potiùs cauſam commentus fuit, quàm veram reddidit. Scitum igitur veriſſimumque eſt illud Plinii libro 2. cap. 12. *Non omnium rerum afferri poſſe cauſas, minùs mirum eſt; quàm conſtare in aliquibus.*

ÆNIGMA XXV.

Cùm ſpes multa ſuper labendi è caſsibus hoſtis,
Cùm ſpes vincendi non ſuper ulla foret:
Vnicus uno ictu quando vir fregit & egit
Ex hoſte in turpem millia multa fugam?

SOLUTIO.

ANno à Chriſto nato 1381 magnus Moſcoviæ dux arcem Livonicam in provincia Torpatenſi ſitam trecentis militum millibus obſedit, acertimèque oppugnavit. Tanto exercitui ipſemet & preſuit & interfuit. Cùm autem diuturnâ obſidione oppugnationibuſque crebris non ſolùm muri & propugnacula arcis partim everſa, partim labefactata eſſent, verùm etiam obſeſſorum corpora defatigata & fracti animi: obſeſſi propriis viribus diffidentes, in ſolâ divinâ protectione omnem liberationis ſpem collocant. Ipſemet quoque arcis præfectus in faciem proſtratus proximâ ante diem Veneris nocte Deum ardentibus precibus orat, ut in tam deplorato rerum ſtatu ſibi ſuiſque omni ope humanâ deſtitutis cæleſti auxilio ſuccurrere dignetur. Poſtridie ſummo manè arcum arripit, ſagittamque è feneſtra propugnaculi in media hoſtium caſtra emittit, Deoque dirigente telum ipſiuſmet magni Ducis pectus lethaliter transfigit. Ea res tantum pa-

vorem

vorem Moſcorum animis incuſſit, ut arrepto domini cadavere ſubitâ fugâ ſalutem ſibi quærerent, obſidionemque ſolverent: quos tanto ſpacio Livones ſunt perſecuti, quantùm curſu & viribus conficere potuerunt. Agnoſcentes autem, ſe Dei Opt. Max. ſingulari auxilio ex iſtis anguſtiis ereptos, & in libertatem vindicatos, pro tanto beneficio toto pectore gratias Deo egerunt, atque in rei geſtæ memoriam arcum in arcis templo ſuſpenderunt, ubi in annum Chriſti 1558. uſque pependit, quo tempore Johannes Baſiliades magnus Moſcoviæ dux arcem illam denuò obſedit, & in ſuam poteſtatem redegit. Reperies hæc rerum Polonicarum tomo 2.

Cæterùm ſive ænigma, ſive potiùs de re geſta quæſtionem me propoſuiſſe dicas, ſuſque deque fero. Rem memoratu dignam & tam rari exempli, ut ad id vix comparari poſſit aliud (niſi fortè illud Ahabi 1. Reg. 22. v. 34. in quo tamen multiplex occurrit diſſimilitudo) ſilentii tenebris non putavi involvendam.

LIBRI

LIBRI SECUNDI

ÆNIGMA PRIMUM.

Eſt radix mihi fixa ſolo: diſtendo per undas
Ramos, qui foliis, ſemine, flore carent.
Nataliſque manent molles ſub gurgite lymphæ:
Obriguere, auras quum tetigere leves.
Atq; aut purpureum ſimilant interna ruborem,
Aut Mauri faciem Sarmaticamve nivem.

SOLUTIO.

INter plantas marinas haud immeritò numeratur Coralium. Id imâ ſui parte, quæ radicis loco eſt, terræ ſeu ſolo potiùs lapideo infigitur, reliqua non in auras, ſed in aquas marinas aſſurgit, per eaſque ramos ſuos fruticis inſtar explicat. Molle eſt, quantiſper in aquarum profundis relictum fuerit. Tactum autem, & in ſupera extractum, natalibus derogatis, fit lapis. Inde Græcis λιθόδενδρον, hoc eſt, lapidea arbor appellatum.

Hanc Corali naturam complexus eſt Ovidius libro 4. metam. fab. 3. his verſibus.

Nunc

Nunc quoq; coraliis eadem natura remanſit,
Duritiem tacto capiant ut ab aëre; quodque
Vimen in æquore erat, fiat ſuper æquore ſaxū.

Nec non 15. metam. fab. 41.

Sic & coralium, quo primùm contigit auras
Tempore, dureſcit: mollis fuit herba ſub undis.

Dioſcorides libr. 5. cap. 103. coralium à circumfuſo aëre, ſicut ferrum ab aqua, compingi putat; ſed, ut opinor, ſine ratione. Verior hac de re ſententia ex Falloppio mox proponetur.

In mari Siculo & Liguſtico circa Stœchadas inſulas ut plurimùm naſcitur. Evellitur retibus, aut acri ferramento præciditur. Hac de cauſa nomen ei impoſitum volunt ἀπὸ τῆς κουρᾶς, hoc eſt, à tonſura vel ſectione, quaſi dicas curalium. Magnitudo ei ſemipedalis, interdum & pedanea.

Trium eſt generum, rubrum, atrum, & album. Rubrum & atrum nota fuere tum Dioſcoridi, tum Plinio. Album uterque ignoravit, niſi fortè id, quod Dioſcorides pallidum vocat, & pro vitioſo habet, album eſſe putemus. Convenit enim, quod dicit cavernoſum & laxum eſſe.

De rubro ſcribit Plinius, colorem ei eſſe viridem, baccas ſub aqua candidas & molles, quæ exemptæ mox dureſcant & rubeſcant. Cornarius & Matthiolus in ſuis in Dioſcoridem commentariis, falſum eſſe

ajunt,

ajunt, quod Plinius de baccis tradit. Nullas enim omnino in coralio naſci, ſed ex ramis ejus artificum induſtriâ fingi pro materiæ ratione & pro cujuſque arbitrio. Id, quod Maſſilienſes mercatores teſtantur, qui hodieque captum ad Stœchadas coralium partim rude, partim politum & efformatum in Germaniam important venumque exponunt.

Contrà hiſtoria plantarum Rovilliana lib. 12. cap. 12. ex Lobelio effigiem coralii baccas habentis, exhibet, ac proinde immeritò Plinium reprehendi autumat. Sed eæ baccæ ita medios ramos occupant, ut tubera potiùs & vitia quædam coralii, quàm fructus ſint exiſtimandæ. Equidem Plinius haud alias baccas noviſſe & intellexiſſe videtur; quàm coralii fruſtula in ſphærulas perforatas tornata, quales fœminæ etiam noſtrates lineis transfigere, decoriſque & remedii causâ (nam inter ſalutaria coralium habetur) collo & manibus adalligare ſolent, eaque pro nativis baccis habuiſſe. Id inde noſcitur, quòd eas cum margaritis confert, quæ ſimiliter ab opulentioribus transfiguntur filis & geſtantur. Sic enim ait, *Quantum apud nos Indicis margaritis pretium eſt, tantum apud Indos in curalio.* & iterum, *Autoritas baccarum ejus non minùs Indorum viris pretioſa eſt, quam fœminis noſtris uniones Indici.* Verùm hoc in medio relinquamus.

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

De cætero tenendum, coralii exteriora ſub aquæ profundis virere, quippe muſco viridi obducta. Rubeſcere, dum poliuntur & cotis beneficio levigantur. Tunc enim aſcititiâ atque alienâ cruſtâ abraſâ genuinus coralii color conſpectui ſubjicitur.

Levinus Lemnius lib. 2. de occult. nat. mirac. cap. 22. affirmat, coralium rubrum, ſi à viro geſtetur in orbiculis elaboratum, rubeſcere exuberantiùs, quàm ſi hoc geſtamine fœmina decoretur. Pallorem enim muliebri conſuetudine induere, propter duas cauſas, quas nunc de induſtriâ taceo, quia ex Lemnio peti poſſunt.

Plinio libro 37. cap. 10. teſte, coralium rubrum etiam Gorgonia gemma dicitur. *Nominis cauſa*, inquit Plinius, *quòd in duriciem lapidis mutatur.* At verior nominis origo eſt ex fabula, quam recitat Ovidius 4. metamorph. num. 18. Perſeum ſcilicet, poſtquam Gorgonem interfeciſſet, capiti ejus detruncato virgulas in littore lectas ſubjeciſſe, eaſque induruiſſe, & in arbuſculas lapideas rubri coloris, hoc eſt, coralium converſas eſſe. Unde & epitheton, quo rubrum coralium expreſſi.

Sequitur nigrum, quod Dioſcoridi Antipathes dicitur; cujus & Plinius meminit libro, quem modò citavi, idemque libro 13. cap. 25. omiſſo nomine deſcripſiſ-

ſe

ſe videtur. Rarum apud nos eſt. Matthiolus ſe coralium nigrum Neapoli primùm vidiſſe, deinde ejus plantam ab Anziano quodam dono ſibi datam brachii craſſitudine, in ſuo in Dioſc. comment. ſcribit.

Falloppius coralium initiò plantam eſſe ait, eamque, quia lapideo ſucco alitur, ſub ipſa aqua lapideſcere, de diverſis etiam in eadem coralii planta coloribus & ſubſtantia peculiaria quædam obſervavit. Itaque ejus verba ſubſignare operæ pretium duxi. Sic autem ait de thermis cap. 7. *Nec mirum vobis videatur, herbas nutriri ſucco lapideo, quoniam & corallus planta eſt, quæ tamen, cùm ad maturitatem pervenerit, lapideſcit; quoniam ſucco lapideo alitur. Ita & junci illi, & aliæ herbæ ex canalibus illis extractæ, in terramque projectæ, cùm fuerint exiccatæ, lapideſcunt; quoniam alebantur lapideo ſucco. Quòd autem hoc fit verum, patet; quia in eo ſolo ſunt & aliæ plantæ, quæ non fuerunt extractæ ex illis canalibus, & non lapideſcunt.* Et de foſſil. cap. 7. *Tertium genus eſt eorum lapidum, qui oriuntur ex plantis: ut eſt corallus tum niger, tum albus, tum ruber. Plantæ enim cùm ſint, tamen lapideſcunt.* Et paulò pòſt: *Tertium genus continebat lapides illos, qui in plantis fiunt, quorum materia eſt ſuccus quidam exiſtens in cavernis profundis maris: qui ſuccus attractus à planta ratione cujuſdam affinitatis &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

tis & proprietatis, concoquitur optimè, & planta lapideſcit. Quòd autem ſuccus attrahitur ratione cujuſdam proprietatis, ex eo patet, quòd ubi generatur, & lapideſcit corallus, ſunt varia genera muſci: tamen corallus lapideſcit, muſcus minimè. Quod porrò ſuccus ille attractus à planta illa vertatur in corallum per concoctionem, perſpicuum ex eo eſt, quod videmus unam atque eandem coralli plantam habere aliquas partes magis lapidoſas: quod rurſus ſuccus iſte ſenſim attractus recipiat magnam concoctionem in plantis illis, patet ex mutatione coloris ipſius plantæ. Nam ex alba vel viridi aliove colore donata fit rubicunda. Et iterum cap. 9. *Modus autem quo generantur lapides in plantis, eſt quod plantæ ipſæ attrahunt ſuccum lapideum, qui ſuccus longo tempore in planta concoquitur à facultate, qua plantæ ineſt, & ſic tandē planta lapideſcit. Quod hoc ſit verum, patet exemplo: nam corallus planta eſt, & extrahitur adhuc planta exiſtens è profundo maris: & tempore tandem aliqua ipſius pars lapideſcit penitus, aliqua lignoſa remanet, prout magis, vel minus ſuccus ille lapideus eſt coctus.* Hæc ille.

Soli lapidei bolide è mari extracti eſt mihi fruſtulum quoddam trium digitorum latitudine, unius longitudine. Ex hoc enaſcitur arbuſcula quædam lapidea in ſuos ramos diviſa, haud longula tamen, minor ſemidigitali. Juxta hanc ex eodem ſolo

ſolo prodeunt aliæ quædam lapideæ plantulæ arbuſculâ jam dictâ multò humiliores, & in ipſo ſolo vermiculi lapidei ſtrati ſunt, quos exactè viſus dignoſcere poteſt. Vixiſſe olim plantulas iſtas & vermiculos credendum eſt, &, quia lapideum ſuccum pro alimento attraxerunt, obriguiſſe atque in lapides converſos eſſe, quemadmodum de coralio Falloppius ſtatuit. Et ſolum & ea, quæ ſolo adhærent, coloris ſunt obſcurè albicantis.

ÆNIGMA II.

Mas ego ſum, niduſque mea ſum conjugis, in quo
Illa parit gravido prægnans genitalia ventre
Ova, ego quæ infernè foveo conjuxque supernè,
Conjunctiſque operis ſobolem producimus ambo.

SOLUTIO.

MAnucodiatam, ſive avem paradiſi, quandiu vivit, in aëre perpetuo hærere, neque terram aut aquam attingere, niſi cùm jam mortua ex aëre decidit, ſuperiore libro dixi. Quoniam autem mori illas conſtat; omnino neceſſarium eſt, ut ſingularum interitus continuâ generatione ſucceſſivaque ſobole compenſetur. Alioqui ſenſim Manucodiatarum genus univerſum mortalitatis conditio extingueret. Siquidem, ut ſapienter Ariſtoteles libro 2. de gene-
ratione

ratione & corruptione cap. 10. affirmat, *natura in omnibus rebus id, quod melius eſt, appetit. Melius autem eſt eſſe quàm non eſſe. Id verò quoniam non omnibus contingere poteſt, propterea quòd longiùs à principio abſunt, idcirco Deus eo modo, qui reliquus erat, univerſitatem rerum explevit, continuamque generationem inſtituit.* Cæterùm in genere Manucodiatarum non alia eſſe poteſt generatio quàm illa, quæ fit maſculo & fœminâ inter ſeſe per voluptatis illecebras copulatis.

Atqui ſi perpetuò in aëre verſantur, nec terram vivæ attingunt, quomodo copulari aut coïre? ubi & ex qua materia nidificare? quomodo item ova incubare atque excludere poſſunt, cùm reliquæ aves ſtabilem ad pariendum locum requirant?

Res ita ſe habet. Mas dorſum ſortitus eſt depreſſum & excavatum, in eo tanquam nido fœmina ova ſua ponit. Ipſa autem ventrem habet concavum, qui maſculi dorſo reſpondet. Incubat igitur ovis fœmina mari inſidens, mas ea nidi inſtar ſuſtinet, atque ſic ova conjuncto utriuſque parentis calore fota excluduntur. Maſculo in cauda hæret utrinque filum longius tribus palmis, coloris nigri, medium inter quadratum rotundumque, neque craſſum nimis, neque admodum tenue. Hoc exiſtimant, fœminam dum incubat, adalligari firmiùs maſcu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

maſculo; de quo lege Cardanum de ſubtilitate lib. 10.

ÆNIGMA III.

Me radiis acies hominis penetravit acutis:
Lucida tranſmiſi Phœbi, Phœbique ſororis
Spicula, nunc horum non ſum penetrabilis ulli.
Obſtat obex etenim, cujus vi miſſa repello
Tela, hominiq; ſuos mea monſtrant æquora vultus
Ad vivum, & meliùs quàm poſſit reddere, vel qui
Lineolæ tenuis tabulæ ſuper æquore ductu
Protogenem vicit, vel qui depinxerat uvam
Illecebras volucrum, vel qui ſubtilia vela
Deceptura hominem jam ſe viciſſe putantem.

SOLUTIO.

VItrum pellucidum tum viſus acies, tum radii Solis & Lunæ penetrant. At ſi parte adverſa plumbum vel ſtannum ei illinatur, eo obſtaculo terminatur viſus, fitque ſpeculum. Artificium ſpeculorum ejuſmodi docet Johannes porta Neapolitanus lib. 4 magiæ naturalis capite 18.

Cæterùm viſio fit in ſpeculis per reflexionem, reflexio autem contingit in corporibus politis arte vel natura, in quibus eſt continuitas partium ſuperficiei ſine ſenſibili diviſione. Politam illam ſuperficiem æquora ab æqualitate appello. Reflectitur autem viſus à denſo, ideoque ſpecula poſtica parte, ut

ut dixi, plumbo obducuntur, ut radii oculorum ſiſtantur, neque per vitrum directè tranſeant, ac diſſipentur. De quo plura leguntur lib. 2. de occultis naturæ mirac. cap. 33. apud Levinum Lemnium.

Ad reliqua quod attinet, per eum, qui Protogenem tenuis lineæ ductu vicit, Apellem intelligo. De quo ita Plinius lib. 35. cap. 10: *Scitum eſt, inter Protogenem & Apellem quod accidit. Ille Rhodi vivebat: quo cum Apelles adnavigaſſet, avidus cognoſcendi opera ejus, fama tantum ſibi cogniti, continuo officinam petiit. Aberat ipſe, ſed tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ, anus una cuſtodiebat. Hæc Protogenem foris eſſe reſpondit, interrogavitque, à quo quæſitum diceret. Ab hoc, inquit Apelles: arreptoque penicillo lineam ex colore duxit ſumma tenuitatis per tabulam, Reverſo Protogeni, quæ geſta erant, anus indicavit. Ferunt, artificem protinus contemplatum ſubtilitatem, dixiſſe, Apellem veniſſe: non enim cadere in alium tam abſolutum opus. Ipſumque alio colore tenuiorem lineam in illa ipſa duxiſſe, præcepiſſeque abeuntem, ſi rediſſet ille, oſtenderet, adjiceretque, hunc eſſe, quem quæreret: atque ita evenit. Revertitur enim Apelles, ſed vinci erubeſcens, tertio colore lineas ſecuit, nullum relinquens amplius ſubtilitati locum. At Protogenes victum ſe confeſſus, in portum devolavit, hoſpitem quærens.*

Uvas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Uvas quibus aves deceptæ ſunt, Paraſius; velum autem, quo ipſemet Paraſius deceptus fuit, Zeuxis pinxit. De hoc talis legitur hiſtoria apud eundem Plinium. *Deſcendiſſe Paraſius in certamen cum Zeuxide traditur. Et, cùm ille detuliſſet uvas pictas tanto ſucceſſu, ut in ſcenam aves advolarent: ipſe detuliſſe linteum pictum traditur, ita veritate repræſentatâ, ut Zeuxis alitum judicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo oſtendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore, quoniam ipſe volucres fefelliſſet, Paraſius autem ſe artificem. Fertur & poſtea Zeuxis pinxiſſe puerum uvas ferentem, ad quas cùm advolaſſent aves, eadem ingenuitate proceſſit iratus operi, & dixit, Vvas meliùs pinxi quàm puerum. Nam ſi & hoc conſummaſſem, aves timere debuerant,*

Verùm ad ſpecula redeo. Ea Seneca libro 1. natur. quæſt. cap. 15. inventa eſſe ſcribit, *ut homo ipſe ſe noſceret. Multa ex hoc conſecuta, primò ſui notitia, deinde ad quædam conſilium. Formoſus, ut vitaret infamiam: deformis ut ſciret redimendum eſſe virtutibus, quicquid corpori deeſſet: juvenis ut flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi & fortia audendi: ſenex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.*

ÆNI-

ÆNIGMA IV.

Me genitrix mea quando parit, ſum neſcia vitæ,
Et jaceo veluti curâ viduata parentum.
Mox animor: quoniamque pedum mihi nulla facultas,
Remigio ſeco ſtagna agilis natalia caudæ.
Crura deinde mihi ſuccreſcere parva videbis,
Atque nates tremulæ truncari appendice caudæ.
Quæque priùs fueram carbonibuss atrior ipſis,
Piſcequemuta magis, traho nunc per membra vigorem
Gramineum, & rauca facio convicia buccâ
Cum ſociis, ipſum qui vincere Stentora poſſint.
In terra ſalio: ſtagna invia ſulco natatu,
Oreque nunc auras, nunc undas reddo trahoque.

SOLUTIO.

RAna hoc ænigma de ſe ipſa in medium affert. De quarum origine ſic Plinius lib. 9. natural. hiſtor. cap. 51. *Ranæ ſuperveniunt, prioribus pedibus alas fœminæ mare apprehendente, poſterioribus clunes. Pariunt minimas nigras carnes, quas gyrinos vocant, oculis tantum & caudâ inſignes: mox pedes figurantur cauda findente ſe in poſteriores.*

Verùm paulò aliter, atque ad eum, qui ſequitur, modum, ranæ communiter ſobolem faciunt. Fœminæ à maribus initæ ſub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

initium veris ſemina pariunt rotunda piſi propè magnitudine, in quorum medio nigrum eſt veluti punctum, circa quod viſcidus & lentus humor ovi albumini haud diſſimilis. Multa ejuſmodi ova veluti glutine quodam cohærent, neque facilè divelluntur. vulgo ſperma ranarum vocant, & ſub eo nomine in uſus medicos adhibent. Temporis progreſſu nigrum illud, quod in medio cujuſque ſeminis ſitum eſſe dixi, augeſcit tranſitque in animalculum, quod capite tantùm craſſo caudaque oblongâ & acuminatâ conſtat. Id animalculum Plinii aliorumque gyrinus eſt. Unde etiam ranæ ab Ariſtophane & Arato τέκες γυρίνων appellantur. Gyrini illi, quoniam neque pinnas neque crura habent, ſolius caudæ mobilitate huc illuc natant, donec ſenſim crura nanciſcantur, ranæque formam adipiſcantur. Cauda autem cruribus jam enatis aliquandiu manet, poſtea decidit & evaneſcit, non, ut vult Plinius, in crura poſteriora finditur. Siquidem, ut dixi, aliquandiu ſimul ſunt, atque tunc lacertæ figuram gyrinus æmulatur. Porrò gyrini muti ſunt & nigri. In ranas autem cùm mutantur, & vocales fiunt, & abeunte paulatim nigredine viridem colorem induunt. Vocem autem ranæ duplicem edunt: ὀλολυγόνα tempore coïtus, reliquo notum illud κοάξ. Ex amphibiorum ſunt genere,

genere, hoc eſt, eorum quæ in utraque ſede vivunt, quas Cicero beſtias ancipites vocat. In terra ſaltu locum mutant & reſpirant. In aquâ natant, aquamque ſuis buccis & ore prægrandi, nulliſque dentibus armato alternatim trahunt & reddunt.

Bellonius obſervavit, ranas veſci muſcis, locuſtis, millepedibus, erucis, culicibus, iiſque dum inſidiantur, prælongam linguam ex ore exerere & vibrare, in cujus extremo ſpongioſus quidam mucus, viſci modo, quicquid contingit agglutinat, ut integros etiam ſcarabœos in alvum demittant.

Cæterùm non eſt quòd Plinius & Bellonius mirentur, ranas ſemeſtri vitâ reſolvi in limum, nullo cernente, & rurſus vernis aquis renaſci. Id enim experientiâ redarguitur. Nam ineunte verè non tantùm ranarum fœtus conſpiciuntur in lacunis, verùm etiam veteres ranæ, quæ hyeme ſub terra integræ latuerunt, & vere rurſus è latebris ſuis emerſerunt. Vide Georg. Agric. de animant. ſubterraneis.

ÆNIGMA V.

Floribus elicio nectar. ſi junxeris antè
Quina mihi decies, molibus aptus ero.

SOLUTIO.

APes è floribus ſuccum quendam nectareum, hoc eſt, dulciſſimum elicere, ex eoque in alveos comportato mel ceramque conficere, noſtrates apum curatores ſine dubitatione credunt.

Contrà Ariſtot. lib. 5. de hiſtoria animal. cap. 22. favos apes conſtruere ex floribus, ceram ex lachryma arborum fingere, mella ex rore aëris contrahere affirmat. Et Galenus libro 3. de alimentor. facult. cap. 38. mel in plantarum foliis fieri ſcribit. earumque neque ſuccum, neque fructum, neque partem eſſe, ſed ejuſdem eſſe cum rore generis. *Memini*, inquit, *aliquando, cùm æſtate ſuper arborum ac fruticum herbarumque folia mel quamplurimum fuiſſet repertum, agricolas velut ludentes ceciniſſe,* Juppiter melle pluit. *Præceſſerat autem nox, ut per æſtatem, bene frigida (nam tum tempus anni æſtivum erat) pridieque calida & ſicca fuerat aëris temperies. Peritis quidem naturæ interpretibus videbatur, halitus è terra & aquis ſolis calore ſublatos: ac deinde exactè tenuatos ac coctos, frigore ſecutæ noctis concretos coaluiſſe: apud nos verò,* inquit, *rarò id accidit: In monte autem Libano quotannis perſæpe. Itaque coria ſuper terram extendentes, & arbores excutientes, quod ab eis defluit, excipiunt, & ollas ac fictilia melle implent:*

implent: vocantque id mel roſcidum & aërium. Proinde conſtat, materiam, ex qua mel generatur, rori eſſe congenerem: videtur autem & ex plantis, in quarum foliis colligitur, boni malive quidpiam ipſi accedere. Ideoque laudatiſſimum in locis mel gignitur, in quibus thymus, & aliæ quædam herbæ ac frutices temperamento calidæ & ſiccæ, affatim proveniunt.

De hoc Plinius libro 11. cap. 12. *Venit, inquit, mel ex aëre, & maximè ſiderum exortu, præcipuèque ipſo Sirio exſplendeſcente fit, nec omnino priùs Vergiliarum exortu ſublucanis temporibus. Itaque tum primâ aurora folia arborum melle roſcida inveniuntur: ac ſi qui matutino ſub dio fuere, unctas liquore veſtes, capillumque concretum ſentiunt. Sive ille eſt cæli ſudor, ſive quædam ſiderum ſaliva, ſive purgantis ſe aëris ſuccus: utinamque eſſet & purus ac liquidus, & ſuæ naturæ, qualis defluit primò: nunc verò è tanta cadens altitudine, multumque, dum venit, ſordeſcens, & obvio terræ halitu infectus, præterea è fronde ac pabulis potus, & in uterculos congeſtus apum (ore enim vomunt) ad hæc ſucco florum corruptus, & alveis maceratus, totieſque mutatus, magnam tamen cæleſtis naturæ voluptatem affert.*

Conimbricenſes mel ceu meteorum ſic gigni ſcribunt. Quando unà cum vapore illo tenui, ex quo ros generatur, efferuntur potiſſimùm ſublucanis temporibus partes

quædam terræ ſubtiles, ex varia ejuſmo
partium cum humido tenui commixtion,
ſi humidum aqueum non multùm diſſolv-
tur, gigni ſuccum prædulcem, qui herb,
foliis, floſculis & terræ ſolo excipiatur, atq
hunc mel vocari.

Ego verò ut non nego, mellis quodda
genus ex aëre deſcendere: (qualis eſt Mar
Arabum, quam Falloppius de purgantib
medicamentis ſimplic. cap. 38. Matthiolus
Dioſc. libro 2. cap. 75. & Fuchſius de co-
poſ. medic. libr. 1. cap. 76. illud ipſum n
roſcidum & aërium à Galeno loco ſup
citato deſcriptum eſſe cenſent: qualis ite
dulcis & melleæ ſuavitatis ros, qui interdu
in his quoque terris ex aëre in herbas de-
bitur, avidèque ab apibus excipitur atq
legitur. Germani honigthaw vocant.) I
viciſſim omnino reor concedendum, prov-
nire & flores quoſdam apud nos, ex quib
apes melliginem colligant, ut favos in
atque ceras confingant. Melligo autem i
in trifolii pratenſis, boraginis, bugloſſ
digitalis & urticæ mortuæ ab apum ſuct,
binſaug Germanis nominatæ, nec non cera
pomi, pyri, tiliæ, aliarumque id genus pla-
tarum floribus tam eſt obvia, ut guſtu care
imò prorſus inſipiens dici mereatur, qui ea
non percipiat. Eâ verò non exterior flos, ſ
interior, ubi rori minùs eſt expoſitus, non ta-
qua

quam adventitio, ſed tanquam nativo ſucco turget. Nam apes in flores quoſdam inverſos, eaq; parte, quâ aperti ſunt, terram ſpectantes, ideoque ad ſuccum ex aëre delabentem excipiendum haud diſpoſitos infernè ſubvolant, melliginis colligendæ gratiâ. Id videre eſt, tum in digitalis, tum in aquilegiæ floribus, & pluribus aliis, ſi quis obſervet. Eſt igitur illa melligo in ipſis floribus. Et ſi ex aëre ſuccus ille dulcis decidit, cur apes eum in floribus potiùs, quàm in foliis venantur, quæ magis illi, quàm flores, ſunt expoſita? Imò cur non in omni, quod ſub dio eſt? Quapropter & Varro lib. 3. de re ruſtica, capite 15. alvearia facere jubet, quæ prope ſe loca habeant, ubi pabulum ſit frequens. Idque ſi naturale non ſit, dominum ſerere jubet, quæ maximè ſequuntur apes: ut roſam, ſerpillum, apiaſtrum, papaver, lentem, piſam, cyperum, medicam & maximè cythiſum. ad mellificium autem nihil aptius eſſe thymo perhibet. Columella lib. 9. c. 4. multò plures apum pabulationi idoneas plantas recenſet, pluresque recenſere ſe potuiſſe ait, niſi compendia ſequeretur. Ex omnibus, quas propoſuit, ſaporis præcipui mella reddere thymum, cum Varrone affirmat. Huic proximum eſſe thymbram, ſerpillumque & origanum. Tertiæ notæ eſſe rorem marinum & cunilam ſive saturejam. Deter-

rimæ notæ mel haberi nemorenſe, quod ex ſparto atque arbuto provenit. Conſimiles herbas Palladius circa apum ſtationes nutrire jubet lib. 1. cap. 37. & Plinius lib. 21. cap. 12. Capite autem ſequenti Plinius tantùm pabulum referre ait, ut mella quoque venenata fiant. Nam Heracleæ in Ponto quibuſdam annis pernicioſiſſima exiſtere ab iiſdem apibus facta. Non tamen dixiſſe autores, ex quibus illa floribus fierent. Aliud genus in eodem Ponto gente Sannonum mellis reperiri prodit, quod ab inſania, quam gignit, mænomenon vocant, Exiſtimantque id contrahi flore rhododendri, quo ſcatent. Hujus & Dioſcorides meminit libro 2. cap. de melle. Ergo ex pabulo apum, &, ut Plinii verbis utar, floribus mella fiunt & contrahuntur.

Qnid? quod Dioſcorides in Sardinia amarum mel propter abſinthii pabulum fieri tradit. Audiamus ſuper hac re & Sencæ ſententiam, cujus epiſtolâ 84. hæc ſunt verba: *Apes debemus imitari, quæ vagantur & flores ad mel faciendum idoneos carpunt. Deinde quicquid attulere diſponunt, ac per favos digerunt: &, ut Virgilius noſter ait,*

— liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.

De illis non ſatis conſtat, utrum ſuccum ex floribus ducant, qui protinus mel ſit: an quæ collegerunt,

collegerunt, in hunc ſaporem mixturâ quadam & proprietate ſpiritus ſui mutent. Quibuſdam enim placet, non faciendi mellis ſcientiam eſſe illis, ſed colligendi. Ajunt inveniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius cæli, aut ipſius arundinis humor dulcis & pinguior gignat. In noſtris quoque herbis vim eandem, ſed minùs manifeſtam & notabilem poni, quam perſequatur & contrahat animal huic rei genitum. Quidam exiſtimant, conditurâ & diſpoſitione in hanc qualitatem verti, quæ ex tenerrimis virentium florentiumque decerpſerint, non ſine quodam, ut ita dicam, fermento, quo in unum diverſa coaleſcunt. Hæc Seneca. Illud verò eſt admiratione dignum, quod Eudoxus Cindius apud Apollonium refert, in Africa quandam gentem eſſe, quæ ſupra Syrtes & Carthaginem incolat, Gyzateres vocata, hancque exerceat artem, ut flores iſtis in locis colligat, melque eâ copiâ & qualitate ex iis conficiat, ut apum æquet mellificium. De quo lege Hieronymum Mercurialem lib. 2. variarum lectionum cap. 25. Mitto jam mel in arundinibus collectum, quod Plinius lib. 12. cap. 8. ſaccaron vocat, Matthioluſque in arundinibus ſicut & noſtrum ſaccharum natum eſſe contra Manardum & Fuchſium contendit.

Sed venit ecce in mentem mellis vir-

ginei, quod à junioribus examinibus veluti tyrocinium edentibus conficitur, nomenque habet ab apibus virginibus, hoc eſt, Venerem nondum expertis. Salubritate id præſtat adultarum apum melli. Ejus rei cauſam mihi ab apum curatore quodam requirenti, reſponſum, cùm examina illa mel colligere incipiunt, jam florem abjeciſſe chamelæam, Mezereon Arabibus, Germanis Zeiland vocatam, cui vim deleteriam Matthiolus libro 4. compendii plantarum attribuit. Florem autem hæc producit ſub veris initium, qui ab apibus frequentatur, quo tempore examina nondum miſerunt. Hinc natum ajebat Germanicum illud rhythmum,

Thete Zeiland blut/
Wer honig zu allen ſchaden gut.

Atque hactenus de voce *apis*, ſive potius de eo, quod eâ voce ſignificatur. Huic præpone L, qnod qninquaginta denotat, & erit lapis, cujus uſum ad ædificia eximium eſſe, quis ignorat?

ÆNIGMA VI.

Deſtituor manibus, quibus arcum tendere poßim,
Aut lento celeres nervo applicuiſſe ſagittas.
Nec pharetram geſto. pellis mihi nervus, & arcus,
Et pharetra. irritare cave, mea ſpicula lædunt
Eminus, indomito niſi texeris obice corpus:

SOLUTIO.

QUæ hoc ænigmate enumerantur, omnia hyſtrici ſunt peculiaria. Deſtituitur manibus, quibus aut arcum tendere, aut nervo ſagittam valeat applicare; nec pharetram ullam habet, ſed pellis illi pro arcu eſt, & nervo & pharetrâ. Eſt enim erinaceo ſimilis, multis ſpinis oblongis, rotundis, ex albo atroque maculoſis per dorſum armata, quas irata laxatas emiſſione voluntaria jaculatur in canes, & venatores ingruentes, aut quovis modo moleſtos irritatores, ut eos vulneret. Qui oſtendendi gratia hyſtricem laceſſunt (quod ferula plerunque fieri ſolet) aſſerem objiciunt, in quem ſpicula ſua tanto impetu vibrat, ut, non obſtante aſſeris duricia, profundè infigantur.

Hyſtricem à ſpinis Græci ἀκανθόχοιρον, Latini porcum ſpinoſum, Germani Stachelſaw vocant. Sunt, qui ex genere erinaceorum terreſtrium eſſe velint.

Deſcribitur à Geſnero in hiſtoria animalium, à Georgio Agricola in libro de animalibus ſubterraneis, ab Andrea Matthiolo in comment. in 2. lib. Dioſc. cap. 2. à Solino cap. 33. & ab aliis. In Africa frequentiſſima eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA XXVI.

Si patre major erit mater, quæ naſcitur inde,
Filia craßitie ſuperabit utrunque parentem.
Sin genitore minor genitrix, quæ naſcitur inde,
Filia craßicie concedet utrique parenti.
Sin parilis modus æquabit matremque patremque,
Filia craßitie par fiet utrique parenti.

SOLUTIO.

PAter eſt corpus lucidum, mater eſt corpus opacum, filia eſt umbra. Si corpus lucidum minus ſit corpore opaco, umbra inde jacitur, quæ ex baſi anguſta magis magisque dilatatur, ſi vel infinitâ longitudine extenderetur. Atque hæc umbra dicitur καλαθοειδής. Sin corpus lucidum majus ſit corpore opaco, naſcitur inde umbra, quæ ex baſi anguſta egrediens, eò magis coarctatur & contrahitur, quò longiùs ab opaco corpore exporrigitur, donec in anguſtum conum deſinat; quæ umbra dicitur κωνοειδής. Quòd ſi lucidum corpus par eſt opaco, umbra vel in infinitum uſque utrique tum lucido, tum opaco corpori par manëbit. Hanc κυλινδροειδῆ, id eſt, columnarem vocant. Hæc pulchrè complexus eſt Georg. Buchananus lib. 5. Sphæræ paucis hiſce verſibus:

Omne,

Omne, quod officiet luci objectuque tenebras
Efficit, corpus, vel par fateare neceſſe eſt,
Vel minus, aut majus lucentis corpore maſſæ.
Si modus ambobus par eſt, æqualis utrique
Vmbra fluit, teretem fingens ſine fine columnam.
Sin anguſta magis, lux ſe breviore coërcet
Circuitu, tenui incipiens à cuſpide creſcit
Latior umbra, & quàm magis à fulgore recedit,
Tam magis in latum ſpatioſas porrigit alas.
At ſi fortè minor menſura in corpore denſo eſt,
Quàm qua luce nitet, denſo cum corpore primùm
Par modus eſt umbræ, dein ſe brevioribus arctans
Concludit ſpatiis, & cuſpide finit acuta.

Lege & Plinium natur. hiſtor. lib. 2. cap. 11.

ÆNIGMA VIII.

Dic, ubi cum fœtu muliebri prodeat alvo
Nunc volucris, ſerus fecit cui nomina veſper:
Nunc unco accipiter roſtro metuendus & ungue:
Beſtia nunc aliâ atque aliâ ſpectanda figura?

SOLUTIO.

JOh. Michaël Savonarola lib. 2. de thermis c. 1. refert, in certis Apuliæ partibus mulieres cum fœtu animal quoddam parere, ut veſpertilionem aut accipitrem. Id verò in primis frequens eſt Salerni, unde hujuſmodi cum fœtu nata monſtra fratrem Salernitanorum vocant.

Alexander Benedictus autor non ſo-

lum Apuliam id vitium infeſtare ſcribit, ſed etiam oras maritimas Italiæ circa agrum Piſanum, unde in Lombardiam uſque extenditur. Quo ſit, ut à Gordonio iſtiusmodi monſtra fratres Lombardorum dicantur.

Ludovicus Vives lib. 1. de anima cap. 3. aſſerit, Neapoli Italiæ & in Flandria Belgica beſtias multiformes in mulierum uteris gigni, interdum ſolas, interdum cum embryone, nunc integro & ſalvo, nunc à beſtia vel ſemeſo, vel aliter confecto.

Idem de Belgicis mulieribus affirmat Levinus Lemnius lib. 1. de occultis naturæ mirac. cap. 8. Idque memorabili exemplo declarat. *Fœmina quædam inſularis cùm ex nautici generis homine concepiſſet, in tantam tamque inuſitatam molem illi cœpit intumeſcere uterus, ut non videretur ſuffectura geſtando oneri. Decurſo exactoque novem menſium ſpacio, accitâ obſtetrice primùm magno conatu ac molimine maſſam quandam informem poſt legitimum partum ſcilicet ſuperfœtatam enixa eſt. Huic utrinq; anſæ duæ annexæ erant in brachiorum longitudinem ac modum exporrectæ: palpitavit autem, illique vitale quiddam ineſſe viſum eſt. Poſtmodum monſtrum delapſum eſt ex utero adunco roſtro, longo teretique collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata, eximia pedum agilitate. Id poſt primum lucis intuitum conclave ſtridoribus implevit, atque ultrò citroque discurrens*

diſcurrens latebras quæſivit: tandem à mulieribus impetitum pulvinisque ſuffocatum fuit. Hoc monſtri genus, quoniam hirudinis more fœtum exugit ſanguineque privat, ſanguiſugam iſtis in locis nominari Levinus Lemnius ait.

Schenckius lib. 4. obſervat. 230. monſtra iſtiusmodi vocat molas vitales, earumque varias ſpecies recenſet.

Ridiculæ autem ſunt fœminæ, quæ ex talis molæ conſideratione conjecturam faciunt, utrùm infans ex nobili patre, an plebejo, natus ſit. Nam ſi cum infante prodeat nobilis beſtia, ut accipiter, infantem nobili patre genitum augurantur: ſin beſtia ignobilis, ut bufò aut lacerta, infanti adfuerit, plebeji fœtus indicium eſſe muſſitant.

Cauſa, cur generentur hujusmodi molæ, ab aliis aliæ afferuntur. Quidam victus rationem, nonnulli intempeſtivum concubitum prætendunt. Sunt, qui regionis vel certæ gentis vitio id fieri cenſeant. Ut ut ſit, gravis eſt calamitas & commiſeratione digna.

ÆNIG-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA IX.

Sum primùm gradiendi impos, quadrupesque deinde,
Tum bipes, inde tripes. greſſus videt ultima meta
Expertem, primus qualem quoque viderat ortus.

SOLUTIO.

DE homine hoc ænigma interpretare. Is enim cùm primùm ex uteri materni hoſpitio extruſus, lucis hujus uſuram auſpicatur, gradiendi facultate prorſus deſtituitur. Poſtmodùm paulò firmior factus, innititur manibus atque pedibus, quadrupedique ſimilis incedit. Mox erigit ſeſe, & bipes greſſum. Ingraveſcente ætate ſcipionis adminiculo pedes firmat, atque tum fit tripes. Tandem vel morbo vel extremâ ſenectâ, quæ & ipſa morbus eſt, fractus, ad inceſſum prorſus redditur ineptus, qualis & in ipſo ortu fuerat, atque tunc denuò fit quadrupes.

Ænigma igitur hoc à Sphingis ænigmate ſolâ differt acceſſione, partim in initio, partim in fine factâ. Sphingis enim ænigma tale erat: τετράπους, δίπους, καὶ πάλιν τρίπους, quadrupes, bipes, ac rurſum tripes, quod OEdipus interpretatus eſt hominem eſſe. De hoc vide Eraſmum Chiliad. 2. centuriâ 3. in adagio *Bœotica ænigmata*, num 9.

Comitem

Comitem Natalem libr. 9. Mythologiæ cap. 18, Hyginum de fab. cap. 157, Palæphatum de fabuloſis narrationibus cap. 7. Athenæum lib. 6.

Occaſionem ænigma Sphingis augendi dedit Ovidius lib. 15. metamorph. fab. 3. his verſibus:

Editus in lucem jacuit ſine viribus infans.
Mox quadrupes, rituq; tulit ſua mēbra ferarū,
Paulatimque tremens & nondum poplite firmo
Conſtitit, adjutisque aliquo conamine nervis.
Inde valens veloxque fuit, ſpaciumque juventæ
Tranſit, & emeritis mediis quoq; tēporis annis
Labitur occiduæ per iter declive ſenectæ.

ÆNIGMA XXXIV.

Cur veſane tibi videor ratione carere,
Cùm nil, quod pugnet rationi, moliar? alta
Dum Titan fruges torret ſublimis ab æthra,
Nullum tempus iners, mihi nullum abit absque labore.
Nam metuens hyemi mea pinguibus horrea granis
Impleo, ne macilenta fames conſumat egenam,
Cùm jam per vacuos regnant jejunia campos.
Quoque famis major metus eſt, quò rarior anni
Proventus, magis hoc gliſcit mihi cura laboris.
Illo eadem pluviæ venturæ præſcia vates.
Altiùs extructos terrâ ſuper aggero nidos,
Congeſtas ne mergat opes, meque enecet humor.
Sic do ſollicitis pluviarum ſigna colonis.

At

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

At tu, qui compos gaudes rationis haberi,
Quid dignum ratione geris? juvenilia ſomno
Tempora conſumis, vigiles quas conſpicis horas,
Otia diſperdunt vel ſtulta negotia: ludi,
Pocula, itus reditusque vagi, teſtudo, palæſtra:
Cætera prætereo calamo reticenda modeſto.
Interea in pejus ruit irrevocabilis ætas,
Dispereunt ſumptus, culturæ diſperit aptum
Tempus, & ingenii vis ſenſim hebetatur acuti.
Non animos ſubit ignavos grandæva ſenectus
Viribus orba, cibisque inhians, ſed inepta parandis?
Huic jam, ſi ſaperes, curares providus apta
Subſidia, effœtos annos ne vexet egeſtas,
Teque ſenum juvenumque ſimul derideat ordo.
Sed quid ego rationis inops, ratione valentem
Officii admoneo? ſcio te me noſſe; valebis
Ergo, nec hæc mea dicta ſines vaneſcere in auras.

SOLUTIO.

HIc neque Delio natatore, ut dicitur, neque OEdipo opus eſt. Vel Davus animadvertat, ſermonem affingi formicæ, quo juvenibus deſidibus, & in longitudinem non conſulentibus, veternum ignaviæ excutiat, eosque ſuo exemplo ad diligentiam & de futuro ſollicitudinem excitet.

Plinius formicarum admirandam naturam libro 11. cap. 13. graphicè depingit: Reipub. inquit, *iis ratio, memoria, cura. Semina arroſa condunt, ne rurſus in fruges exeant è terra.*

è terra. Majora ad introitum dividunt. Madefacta imbre proferunt atque ſiccant. Operantur & noctu plena luna. Eædem interlunio ceſſant. Iam in opere qui labor? quæ ſedulitas? Et quoniam ex diverſo convehunt altera alterius ignara, certi dies ad recognitionem mutuam nundinis dantur. Quæ tunc earum concurſatio? quàm diligens cum obviis quædam collocutio atque percontatio? Silices itinere earum attritos videmus, & in opere ſemitam factam, ne quis dubitet. qualibet in re quid poſſit quantulacunq; aſſiduitas.

Plutarchus in libro, *utra animalia plus rationis habeant, terreſtria an aquatica*, naturam nullum maximarum pulcherrimarumque rerum auguſtius ſpeculum habere ſcribit, quàm formicas, in quibus ceu pura quadam in guttula omnis virtutis ratio clarè eluceat. Celebres enim illi formicarum conventus & quaſi collocutiones atque percontationes amicitiæ imaginem præbent. Fortitudinis ſpecimen eſt illa in ferendis laboribus alacritas. Mutua caritas in eo conſpicua eſt, quòd vacuæ onuſtis de via cedunt. Intelligentiæ haud vulgaris eſt argumentum, quòd, quæ geſtatu difficilia ſunt, corrodunt, atque inter plures diſtributa geſtabilia reddunt. Omnem autem intelligentiam ſuperat illa, ne ſemina comportata germinent, procuratio; umbilicum enim grani, quo germen emitti ſolet, excîdunt.

Senſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Senſum etiam futurorum (id eſt, ubertatem aut penuriam frugum imminentem) formicis inſitum eſſe, Ælianus lib. 1. variæ hiſtoriæ cap. 12. commemorat. *Formicæ etiam*, inquit, *ſicut accipio, quendam futurorum ſenſum habent. Nam imminente fame mirum in modum ſunt laborioſæ ad comportandum victum, & reponendum ſibi frumentum ac reliquos fructus, quibus veſcuntur formicæ.*

Iiſdem in opere aſſiduitatem & de futuro curam Horatius tribuit lib. 1. ſerm. Satyr. 1.

Parvula nam exẽplo eſt magni formica laboris,
Ore trahit quodcunq; poteſt, atq; addit acervo
Quẽ ſtruit, haud ignara ac non incauta futuri.

Obſervatum etiam, cùm pluvioſa æſtas imminet, formicas tanquam futuri quanquam præſenſionem habentes, tumulos illos cavernoſos, in quibus habitant, altiores facere. Unde agricolæ ex altitudine eorum de conſtitutione æſtatis præſagire ſolent, qualis futura, & quantum ſerenitatis aut imbrium allatura ſit.

Haud fruſtra igitur eſt, quod Salomon Proverb. 1. cap. 6. verſ. 6. 7. & 8. ignavos ad formicas ablegat, ab iiſque documenta diligentiæ atque incitamenta laboris capere jubet, his verbis:

Abi ad formicam, ô piger, aſpice vias ejus

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

& ſape. Cùm non ſit illi ductor, moderator aut dominator: comparat æſtate cibum ſuum, comportat per meſſem eſcam ſuam. Quouſque piger jacebis? quando ſurges à ſomno tuo? pauculis ſomnis, pauculis dormitationibus, pauculâ complicatione manuum cubando. Interea advenit tanquam viator expeditus paupertas tua, & egeſtas tua tanquam vir clypeatus. Ejuſdem argumenti eſt apologus de formica & cicada.

Quæ verò hactenus dicta ſunt, de noſtratibus formicis, quæ parva quidem animalcula, diſparis tamen quantitatis ſunt, intelligantur. Indiam autem longè majores formicas ferre, nec minores canibus maximis: eaſque leoninis pedibus arenas aureas egerere, & cum ſumma pernicie attingentium cuſtodire, autores ſunt Plinius lib. 6. cap. 19. & libro 37. cap. 10. Solinus Polyhiſt. cap. 33. Pompon. Mela libro 3. de ſitu orbis cap. 7. Herodotus lib. 3. Strabo lib. 2.

Quòd igitur Buchananus lib. 1. Sphæræ Indiam deſcribens inter alia ſic canit:

Perque inſcia vomeris arva
Congerit in cæcas aurum formica cavernas.

cum unanimi jam dictorum autorum conſenſu pugnat; quippe qui omnes aurum illud egeri & erui è terra à formicis, non autem in terræ cavernas congeri commemorant. Quantò igitur rectiùs legeretur;

Egeri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Egerit è cæcis aurium formica cavernis?

Siquis hanc formicarum hiſtoriam in dubium vocare velit, per me licet. Fides ſit penes autores.

Auctuarii loco addo, quod Scaliger exerc. 197. refert, in provincia Mangi rubras eſſe formicas, quibus incolæ, ut nos gammaris ſive cancris vulgaribus, cum pipere veſcantur.

ÆNIGMA XXIX.

Ire viam cogor, ſed ſponte revertor; itusque
Et reditus non ſum conſcius ipſe mei.

SOLUTIO.

LApis vi in altum conjectus ſurſum ire cogitur, ſed ſponte ab alto deorſum relabitnr. Nec tamen ire ſe aut redire ſentit. Anſa quidem mihi hoc ænigmate præbetur duas quæſtiones diſcutiendi; quarum altera eſt; quomodo ceſſante & remoto motore projecta nihilominus moveantur. Altera, quid ſit id, quod gravia corpora extra naturalem locum conſtituta ad eum promoveat. Verùm quia longiuſculæ tractationis futura eſſet earum dtſcuſſio, utraque alibi commodiùs inſtituetur.

ÆNIG-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA XII.

Cui geminâ ſonitus iter obturavit in aure,
Quicquid id eſt; citharæ fac ſentiat ille ſonorem.
Quid rides, durumque caput non credule quaſſas?
Quod neſcis, te Porta ſagax resque ipſa docebit.

SOLUTIO.

EX Johannis Portæ Neapolitani præſcripto, quod extat magiæ natur. lib. 2. cap. 25. hanc rem ſic machinaberis. Surdus aliquis vel tutemet obſtructis potius auribus, ne ſonum exaudias, capulum lyræ vel citharæ mordicus apprehende, pulſetque eam alter; tum concinnum in cerebro dabit ſonum, & fortaſſe ſuaviorem quàm per aures. neque tantùm id fiet, ſi capulum, verùm etiam ſi longiſſimam haſtam dentibns apprehendas, modò ea lyram vel citharam tangat. Nam per illam quoque clarè ſentietur ſonus, dicique poterit, non auditus ſenſu, ſed guſtu percipi, vel potiùs tactu.

ÆNIGMA XIII.

Illuſtrem germana meo te reddo decore,
Quo ſine nil proprii tute decoris habes.
Quas mihi, quas tanto ſolvis pro munere grates?
Dedecoras vultus, cùm potes, ipſa meos.
Nempe per ingratum ſic vulgò vivitur orbem,
Condecora, crimen; fac bene, damna feres.

SOLU-

SOLUTIO.

SOlem querelam contra germanam ſuam, hoc eſt Lunam, movere, eique ingratitudinem exprobrare, hoc ænigmate fingitur. Quo jure, audiamus. Sol Lunam propriâ luce carentem ſuis radiis illuminat: quos illa ſpeculi enſiſve politi more reflectit. Lunæ igitur radii, qui in terram ſparguntur, nocturnaſque tenebras diſcutiunt, non Lunæ ſunt proprii, ſed alieni & à Sole mutuati, quod primùm ex variis Lunæ vultibus, deinde etiam ex Lunæ eclipſibus manifeſtum eſt.

Ad varios Lunæ vultus quod attinet; ea tum congrediens cum Sole, tum ab eo digrediens, lucenque, quam à Sole accepit, in terram mittens, varias lucis mutationes habet, & nunc orbe pleno nobis lucet, nunc dimidio, nunc curvato in cornua, nunc omnino non videtur. Atqui cùm Solem longè majorem eſſe Lunâ exploratum ſit, neceſſe foret, ſi Luna Solis luce perfunderetur, eam ſemper ultra dimidium irradiari, ideoque nunquam non pleno orbe nobis lucere. Quod tamen non fieri, quis ignorat? Hæc objectio tali reſponſione diluitur. Verum quidem eſt, Lunam ultra dimidium perpetuò à Sole, niſi terra quandoque obſtet, illuſtrari; verùm ea pars, quæ illuſtratur, & reſplendet, à nobis

à nobis non ſemper conſpicitur. Cùm Soli opponitur Luna, ea ipſa ejus medietas Solis lumen excipit, quæ oculis noſtris expoſita eſt. Ergo tunc plena à nobis cernitur Luna. In novilunio, cùm Soli ſubjicitur, medietas illa, quæ Soli obverſa eſt, radiis ejus accenſa fulget, quæ verò nos reſpicit, obſcura manet. Proinde Luna tunc lumen à Sole hauſtum, Solem verſus regerit, in terram autem, quod ſpargat, non habet, ideoque tunc prorſus oculis noſtris ſeſe ſubtrahit. Reliquis diebus tantum ad nos luminis mittit, quantum ex parte à Sole illuminatâ videre poſſumus.

Ex Lunæ eclipſibus clariùs etiam patet, Lunam non ſuo, ſed Solis lumine refulgere. Quum enim, ut in plenilunio, ſic Soli adverſa eſt, ut terra in medio ſit utriuſque, utque adeò per Solem, Terram & Lunam una linea recta tranſeat, oportet aut totam Lunam lumine, quod à Sole accipit, privari, aut aliquam Lunæ partem, prout terra vel à tota Luna Solis radios excludit, vel ab aliqua ejus parte. Cùm enim terra corpus ſit opacum, hoc eſt, nulli fulgori pervium, Solis radiis officit, eoſque ad Lunam nequaquam tranſmittit, ſed denſitate ſuâ intercipit. Proinde tunc Lunam vel ex toto vel ex parte obſcurari & deficere oportet, quod non fieret, ſi propriâ luce prædita eſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Sunt, qui Lunæ proprium lumen ruborem illum eſſe dicant, quo deficiens tincta conſpicitur: verùm id lumen perexiguum eſt, & longè minus reliquarum ſtellarum lumine. Quinimò Scaliger exerc. 52. id ipſum quoque alienum & à Sole acceptum exiſtimat. Lunam enim in umbra terræ conſtitutam, etſi in primis Solis radiis non ſit, in ſecundis tamen eſſe ait. In primis eſſe planè illuſtrem, in ſecundis ſubluſtrem. Quemadmodum enim radius primus eſt ſpecies & imago lucis: ita radius ſecundus eſt ſpecies illius ſpeciei.

Atque hoc à vero haud abhorrere, diverſitas coloris, quæ in Lunæ deficiente obſervatur, documento eſt. Interdum enim nigerrimus apparet, quando ſcilicet Luna in perigeo ſui circuli in umbram terræ profundiſſimè ſeſe inſinuat. Interdum ſubfuſcus, quando in medio ſpacio umbram minùs profundè ingreditur. Interdum ſubruffus, quando in apogeo umbram tenuiſſimam percurrit. Nigreſcit enim Luna à primis Solis radiis longiſſimè remota: ſubfuſca fit, cùm paulò eſt proquinquior: ruffeſcit, cùm radiis Solis eſt proxima. In rubore autem plus eſſe lucis, quàm in fuſcedine, & in hac plus quàm in nigredine, vel puer dignoſcat.

Verùm hucuſque de decore & ornamento, quo Sol Lunam afficit. Nunc quas illa

illa viciſſim Soli gratias referat, conſideremus. Evenit interdum, ut Solem Luna tempore novilunii ſubeat, ita ut Sol, Luna, & hominis Solem intuentis viſus, in eadem ſint linea recta. Quod cùm fit, Luna, cujus corpus denſum eſt, Soliſque radiis haud penetrabile, interpoſitu ſuo impedit, quò minùs Sol ſubjectam terram colluſtrare, integrumque ſuum ſplendorem mortalibus monſtrare valeat. Tunc igitur Solis defectus contingere dicitur, non quod Sol in ſeipſo vel deficiat, vel ullum fulgoris ſui detrimentum patiatur, ſed quod reſpectu ejus terræ partis, in quam illius integer illæſuſque nitor ob Lunam interjectam pervenire nequit, deficere & obſcurari videatur. quod perinde eſt, ac ſi toties Solem tibi deficere putes, quoties manum oculis tuis objicis, efficiſque, ut Solis lumen in eos incurrere nequeat. Unde Macrobius lib. 1. in Somnium Scipion. cap. 15. *In defectu*, inquit, *Sol ipſe nihil patitur, ſed noſter fraudatur aſpectus.*

Ad gnomen adjectam quod attinet, eam ſi exemplis declarare velim, & calamus & atramentum & charta me deficiant. Quid enim ingratitudine in humana vita frequentius? cùm tamen peremptoria res ſit ingratitudo, hoſtis gratiæ, inimica ſalutis, neque quicquam ita diſpliceat Deo, præſertim in filiis gratiæ, quemadmodum in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

gratitudo,ut Divus Bernhardus ſermone 52. ait,adeò ut veriſſimum ſit illud Auſonii:

Ingrato homine terra pejus nil creat.

Sed ingratitudinis vitio obſeſſos manet illa Solomonis ſententa Prov. 17. *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.*

ÆNIGMA XIIII.

Æquora pernici dum divido ſalſa natatu,
Abripior parili magnum per inane volatu.

SOLUTIO.

IN navem ænigma hoc quadrat, quæ velis expanſis per mare fertur. Hujus enim inferiora in mari natant: ſuperiora velis diductis tanquam alis expanſis in aëre volant. Non mirum igitur,Indos Occidentales,cùm è longinquo nunquam antè à ſe viſas naves adventantes viderent (quod contigit anno Chriſti 1492) non naves, ſed aves candidarum alarum remigio advolantes, ſeſe videre exiſtimaſſe.

Contrà ille apud Accium paſtor, qui navem antè non vidiſſet,ut procul divinum & novum vehiculum Argonautarum è monte conſpexit,primò admirans & perterrits inanimum quiddam ſenſuque vacuum ſe putavit cernere: pòſt autem ſignis certioribus,quale ſit id, de quo dubitaverat, incepit ſuſpicari. De quo vide Ciceron. libro 2. de natura deorum.

ÆNIG-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA XV.

Vir probus à reprobo munus prece poſcit, & aufert,
Carius in toto quo nihil orbe fuit.
Nomina dic agedum reprobique probique: ſubadde,
Quid probus à reprobo muneris abſtulerit?

SOLUTIO.

VIrum probum, quem diximus,
Fuiſſe Joſephum ſcias,
Non, terra quem Memphitica
Suſpexit olim ſatrapam:
Sed Arimathia quem tulit
Montes ad altos Ephraim.
Ab hoc rogatur anxiè
Pilatus ille reprobus,
Affixum Jeſu ut innocens
Corpus cruci execrabili
Concederet dono ſibi.
Donum hoc inæſtimabile
Pilatus ille non negat.
Ille accipit, piusque mox
Cavo recondit marmore.

ÆNIGMA XVI.

Ventre tumens pleno graviorque haud obruor undis:
At vacua & levior mergor & ima peto.

SOLU-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

SOLUTIO.

VEſicam aëre diſtentam aquæ innatare, vacuam autem atque flaccidam ſubmergi, longâ obſervatione notum eſt. Nec cauſa latet in obſcuro. Aëre enim tumens mergi nequit, quòd aër, quantò rarior eſt quàm aqua, tantò eâ eſt levior. At vacua veſica, quia per ſe denſum & grave corpus eſt, denſiuſque adeò atque gravius quàm aqua, fundum ſtatim petit.

Sed quid hoc ſibi vult, quòd aëre tumida veſica gravior dicitur, quàm vacua? Num aër eſt gravis, qui leve eſſe elementum perhibetur? Ariſtoteles lib. 4. de cælo, capite 4. textu 30. ut probet, aërem in ſuo loco gravem eſſe, utitur exemplo veſicæ ſive utris, quem inflatum plus ponderis habere affirmat, quàm inanem. Cujus ſententiæ aſtipulatur Averrhoës ſola præceptoris autoritate contentus. Ait enim in commentario in hunc locum, ſibi ſortem ejus rei nondum obtuliſſe experimentum. Themiſtius autem ab Ariſtotele diſſentiens, contendit, utrem inflatum & non inflatum in aëre eodem modo ſe habere. Longè magis ab Ariſtotelis ſententia declinat Ptolomæus in libro de ponderibus: docetque, utrem inflatum leviorem eſſe non inflato.

Ego

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Ego cùm experimentum ejus rei caperem, veſicâ primùm inflatâ, deinde emiſſo ſpiritu rurſus vacuâ, libellæ impoſitâ, deprehendi rem aliter ſe habere atque Ptolomæus putavit. Diu autem mihi dubio obtutu libellæ lances obſervanti viſum tandem, Ariſtotelem rectè ſtatuiſſe, utrem inflatum non inflato eſſe quidem graviorem, ſed tantillo, ut in parva leviculaque veſica, niſi lynceos oculos intendas, ponderis diſcrimen vix perſentiſcas.

Quòd verò hinc inferre vult Ariſtoteles, cujus alioqui autoritate non leviter moveor, aërem in loco proprio gravem eſſe, fruſtraneum mihi videtur. Primùm enim exploratè cognitum eſt, aërem illum, quo veſica vel uter inflatur, propriæ naturæ nequaquam permitti. Homines enim ſuo ſpiritu veſicas plerunque inflant. At ſpiritus humanus purus aër non eſt, ſed vapore permiſtus, quod hyberno tempore tam clarè perſpicitur, quàm quod clariſſimè; primùm in iis, qui in gelu intenſo perſeverantes, myſtacibus narium halitum excipiunt in pruinam vel glaciem plerunque tranſeuntem. Videtur & in illis, qui ſpiritum ex ipſo gutture in volas objectas exhalant. Madorem enim inde contrahunt. Et multò clariùs id fit exemplo tubicinum; qui, dum tubis canunt, ſubinde eas invertunt,

ut humorem ex ipſorum ſpiritn in tubis collectum, effundant. Certius hujus rei documentum requirens, folle veſicam vel utrem impleat, poſteaque ponderet, pondusque inflatæ cum vacuæ pondere conferat. Nam follis tali aëre veſicam implet, qualis eſt ille, in quo ponderatur. Sed ne ſic quidem obtinebit Ariſtoteles, quod vult. Aëre enim terræ propinquus impurus eſt, ſcatetque, ut Conimbricenſium verbis utar, vaporibus & terreſtribus corpuſculis, quæ in Solis radiis conſpiciuntur. Præterea ſi gravior erit veſica tali aëre diſtenta, quàm inanis, prætendi poteſt, id fieri ideò, quòd coactus intra veſicam aër ſit & condenſatus, extra non item. Coactum autem & condenſatnm aërem, non coacto & non condenſato graviorem eſſe, vel ex Ariſtotelis ſententia, oportet. Fatetur enim lib. 4. Phyſ. cap. 9. text. 86. Omme denſum grave eſſe, & omne rarum leve, ac proinde τὸ πυκνὸν καὶ τὸ μανὸν εἶναι φορᾶς ποιητικά: denſum & rarum lationis eſſe efficientia, id eſt, efficere, ut res locum muet.

Ego libenter concedo, aërem ubicunque locorum, etſi levis ſuapte ſit naturâ, tamen igne ſemper eſſe graviorem. Ut autem illam gravitatem in propria regione exerceat, vel deorſum nitendo, vel gravando, niſi vim aliquam patiatur, neceſſe non habet.

Non

Non extra chorum ſaltavero, ſi ſuggeſſero diſputatiunculam, quâ indagatur, qua de cauſa veſica aëre plena, ſi ſub aquam fuerit detruſa, ex illius profundis ultrò in aërem rurſus emergat & evehatur. Cardanus in cauſa eſſe putat, non aëris levitatem, ſed aquæ gravitatem, quæ ſuum locum jure naturæ recuperare velit ab aëre per vim occupatum. Quam opinionem falſam eſſe Julius Cæſar Scaliger exercit. 144. diſtinct. 2. ſic demonſtrare conatur. *Sit aëre*, inquit, *plena pila ahenea, ea in aquam depreſſa exiliet. Eodem ex ære, aut etiam ejus dimidio confletur pilula ſolida. Ea fundum per ſe ipſam petet, nec emerget. Si igitur aqua doleret, quòd à pilis ſuo loco defraudata eſſet, atque idcirco & ſubiret, & inde pilam tolleret: idem in utriusque pilæ averſione faceret. At non facit. Et commodiùs poterat longè minore nixu adverſus leviorem. Non eſt igitur aqua tollens. Nempe aqua eadem, minor æris gravitas. Minùs igitur reſiſtens. Non ergo tollitur pila aut veſica, quia ſubit aqua: ſed aqua ſubit, quia pila tollitur ab aëre. ſubit autem, ne detur vacuum decedente pilâ.*

At meo quidem judicio neuter horum rectè ſentit, cùm ambo tamen rectè ſentiant; hoc eſt, nec ſola aëris levitas in cauſa eſt, ut veſica inflata ex aqua emergat, quod vult Scaliger: neque ſola aquæ gra-

vitas id efficit, ut placet Cardano. Sin utrunque, hoc eſt, & levitatem aëris & aquæ gravitatem conjunxeris, tum demum veram ejus rei cauſam perſpectam habebis.

Quòd aëris, quem continet, levitate emergat veſica, curiosè oſtendit Scaliger. Sed quid, ſi aliquis viciſſim oſtenderet, aquæ gravitatem ad eam rem non minùs habere momenti? Utrique elemento, aëri videlicet & aquæ Deus ſuum aſſignavit locum, eaque ita diſpoſuit, ut aër ſupra aquam eminere, aqua autem aëri ſubjacere naturæ ordine debeat. Proinde cùm aër ſub aqua eſt, ut in veſica aëre diſtentâ, duo contingunt, quæ naturæ legibus adverſantur; alterum, quòd aër eſt ſub aqua; alterum, quòd aqua eſt ſupra aërem. Quapropter, niſi quid prohibeat, utrunque elementum naturæ convenientem ſitum expetit; & aër quidem veſicam, quâ continetur, ſuâ levitate ſupra aquam attollit, nec aqua interim otioſa eſt, ſed gravitate ſuâ deorſum nititur, utque locum ſibi naturâ debitum, & ab aëre per vim occupatum recuperet, veſicam excludit, inque ſuam ſedem exilire cogit. Equidem quæ ratio eſt terræ ad aquam, eadem eſt aquæ ad aërem. Atqui ſi terreum corpus, ut lapidem, in aquam conjicias, non tam aqua, quia levior, aſcendit, ut terræ cedat; quàm terra deſcendit, atque aquam ex inferiore loco pellit,

lit, quia gravior eſt, quàm aqua. Quapropter cùm in vas aëre plenum aquam infundimus, tam verè dicitur, aërem aquæ inferiorem locum ſibi vendicantis pondere expelli, quàm aërem levitate ſuâ ſupra aquam eniti. In emerſione igitur veſicæ inflatæ ex aqua, aëris levitatem & aquæ gravitatem operas ſuas conferre ſine ulla dubitatione exiſtimo. Quod de ſuis pilis affert Scaliger, parum ad rem facit. In pila plena aëre aër, in vacua & in exiguum corpus conflatâ exſuperat terra. Hanc igitur infra aquam, illam extra eum niti, quid mirum eſt?

ÆNIGMA XVII.

Ova olim juvenes tulere bini.
Horum ſic comitem laceſſit alter,
Vnum ſi dederis mihi tuorum
Ovorum, numerus mihi tibique
Par erit, cui mox regeſſit alter:
At tu ſi dederis mihi tuorum
Vnum, plura ego duplo habebo, quàm tu.
Qui ſcitè numerare doctus iſtum
Gryphum fortè leget, citusque dicet,
Portârit juvenis quot ova uterque;
Haud Davi ſimilem putabo, verùm
Vel ipſo OEdipodâ ſagaciorem.
Dic ergo, tulerit quot ova uterque?

SOLUTIO.

Tot prior ova tulit, quot luſtrum continet annos.
Poſterior, vaga quot ſidera mundus habet.

Luſtrum eſt ſpacium quinque annorum. Vaga autem ſidera ſive planetæ ſunt ſeptem. Ille igitur qui quinque ova habuit, alteri cui ſeptem erant, dixit: Si unum tuorum ovorum mihi dederis, totidem habebo, quot tu uno mihi dato habebis, puta ſex. Huic alter, cui ſeptem erant, reſpondit: At, ſi tu tuorum unum mihi dederis, duplo plura habebo quàm tu nunc habes. Habebo, inquam, octo, tibi autem reliqua erunt duntaxat quatuor.

ÆNIGMA XVIII.

Permanet una mihi ſemper ſubſtantia, verùm
Non unus ſemper permanet uſque valor.
Hîc valeo nummo, citius ſed nomine, centum
Florenis alibi, milleque rurſum alibi.
In pejus mox deinde ruo vileſcoque fluxæ
Tum typus ergo tuæ conditionis, homo.

SOLUTIO.

De nummo calculatorio hoc ænigma ſi intellexeris, rem acu tetigeris. Ejus ſubſtantia ſemper eadem eſt, ſed valor ſubinde mutatur, prout in abaci ſuis lineis ſpaciiſque diſtincti hanc vel illam lineam inter-

.. jectumve aliquod ſpacium transfertur. Ut enim hæ lineæ gradibus differunt, quippe cùm aliæ aliis ſint vel ſuperiores vel inferiores, ita & valorum nummi recepti vel augent vel minuunt. Nam ſi nummum aliquem in ſuprema linea ponas, aliquot millibus valebit; in infima, non amplius unitate; in intermediis lineis vel ſpaciis, nunc quinque, nunc quinquaginta, modò quingentis, & ſic deinceps.

Sicut autem unus idemque nummus modò in infima abaci linea ponitur, modò transfertur in mediam, modò tollitur in ſummam, & ex hac retrò præcipitatur, vel in intermediam aliquam, vel etiam in imam: ita haud raro contingit, ut ex Iro fiat Crœſus, ex ſervo rex, ex rhetore conſul, & viciſſim retrò, pro ut illi, in cujus manu & arbitrio ſunt omnia, viſum fuerit: cùm tamen homo idem ſemper maneat per ſe; ex accidenti autem mutetur, dum aliam atque aliam perſonam ſubinde aſſumit.

Profani homines eam rerum humanarùm viciſſitudinem fortunæ imputant, cui ideò rotam affingunt erectam, quam ipſa verſet, hominemque ejus curvaturæ adhærentem modò ex imo in altum tollat & quaſi regem faciat, mox ex alto deturbet & faciat mendicum. Quod innuit Marcellus Palingenius in Virgine, ubi ait:

fortuna

——fortuna frequenter
Extollit miſeros: eadem detrudit ad imum
Sæpe illos, quos antè rotæ commiſerat altæ.

Et clarius Anticlaudianus lib. 8.

Præcipitẽ movet illa rotam, motusq; laborẽ
Nulla quies claudit, nec ſiſtunt ocia motum.
Nam cùm ſæpe manum dextram labor ille fatigat,
Læva manus ſuccedit ei, feſſæque ſorori
Succurrit, motumque rotæ velociùs urget.
Cujus turbo rapax, raptus celer, impetus anceps
Involvens homines, à lapſus turbine nullum
Excipit, & cunctos fati ludibria ferre
Cogit, & in varios homines deſcendere caſus.
Hos premit, hos relevat; hos dejicit, erigit illos.
Summa rotæ dum Crœſus habet, tenet infima Codrus:
Iulius aſcendit, deſcendit Magnus, & infrà
Sylla jacet, ſurgit Marius, ſed cardine verſo
Sylla redit, Marius premitur: ſic cuncta viciſſim
Turbo rapit, variatq; vices fortuna volutans.

A quo haud alienum eſt, quod Tyndanus ſervus, Philocratem ſe mentiens, apud Plautum in Captivis loquitur. *Sed viden? Fortuna humana fingit, arctatque ut lubet. Me qui liber fueram, ſervum fecit: è ſummo infimum. Qui imperitare inſueveram, nunc alterius imperio obſequor.*

ÆNIG-

ÆNIGMA XIX.

Deſtituor pedibus, vox eſt mihi nulla: remotos
Ire tamen cogor, dictaque ferre locos.

SOLUTIO.

EPiſtola neque pedes habet, neque vocem, & tamen in loca longinqua mittitur, ut aliena dicta eò perferat, literarum ſcilicet notis expreſſa. It igitur epiſtola, ſicut Ovidius librum primum Triſtium ire jubet elegiâ primâ:

Parve (nec invideo) ſine me liber ibus in urbem.

Loquitur etiam epiſtola, ſicut ſuum illum librum loqui jubet ibidem Ovidius:

Si quis, ut in populo noſtri non immemor illo,
Si quis, qui, quid agam, fortè requiret, erit:
Vivere me dices, ſalvum tamen eſſe negabis.

Et iterum:

Ne, quæ non opus eſt, forté loquare, cave.

Verùm hæc tropica ſunt: Indorum autem animos, cùm cogitando aſſequi nullo modo poſſent, quâ ratione chartæ ſcriptæ legentibus hæc vel illa patefacerent & nunciarent, ea perſuaſio occupaverat, chartas illas verè animatas eſſe & loqui poſſe. Cujus rei lepidam hiſtoriam narrat Gomara. Mittebat Hiſpanus quidam ad amicum duodecim Hutias (id eſt, cuniculos Indiæ Occidentali peculiares) aſſos, ne æſtu corrumperentur.

perentur. Indum qui deferebat, quum vel obdormiiſſet feſſus de via, vel interquiêſſet, diutiùs morantem in itinere fames corripit: tres Hutias abſumit. Revertitur, literas ab amico illo ad herum referens, quibus ille de novem Hutiis ad ſe miſſis gratias amico agebat. Hiſpanus perlectis litteris iraſcitur ſervo: ille duodecim reddidiſſe ſe affirmat. Sed quum epiſtolæ indicio proderetur, rubore perfuſus verum aperit: & ſuos eâ de re populares commonefacit, ut ſibi à foliis & chartis ejuſmodi loquacibus caverent. Nec diſſimile eſt quod Lerius navigationis ſuæ in Braſiliam cap. 16. de incolis ejus regionis narrat. *Scripturæ*, inquiens, *ſive ſacra illa ſit, ſive profana, non modò penitus ſunt ignari, ſed etiam characteribus, quibus animi ſenſa notare poſſint, penitus carentes. Quum primò in eas terras veniſſem, verba & ſententias aliquas, ut ſermoni eorum aſſueſcerem, ſcribebam, easque mox coram ipſis legebam. Illi præſtigias id eſſe rati, invicem his verbis alii alios alloquebantur:* Non *mirum, iſtum, qui heri ne unum quidem verbum idiomatis noſtri callebat, nunc vi & ope hujus chartæ, quæ illum noſtra eloqui docet, ita peritè ea ſonare, ut à nobis intelligantur?* Barbari Hiſpaniolam Inſulam incolentes, idem prorſus de Hiſpanis qui primi ad eos acceſſerunt, judicabant. Hæc ſunt hiſtoriographi verba. *Inde animadvertentes, Hiſpanos etiam abſentes*

mutuò

mutuò inter ſe colloqui literarum beneficio, credebant vel eos Prophetico agi ſpiritu, vel literas ipſas loqui. Quo factum eſt,ut Barbari, veriti ne peccata innoteſcerent ſua,ita ſeſe in officio continuerint,ut ab eo temporè nec mentiri, nec quicquam Hiſpanis ſuffurari auſi fuerint.

Ad conſtructionem quod attinet, *ire cogor remotos locos*: non eſt, quòd ea quempiam offendat: nititur enim autoritate Virgilii eclog. 1.

At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros,
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem.

Et Martial. lib. 10. epigr. 78.

Ibis littoreas, Macer, Salonas,

ÆNIGMA XXI.

Dic,ubi non niveâ,ſed nigrâ carne palatum
Gallinæ oblectent,diſcutiantque famem?

SOLUTIO.

JOhannes Hugo cap. 4. navigationis ſuæ autor eſt, in Moſſambicqua 15. grad. Auſtrum verſus ſita in littore Melindæ, gallinas nigris eſſe plumis, & nigrâ carne, nigriſque oſſibus, eaſque etſi coctæ, menſiſque illatæ injucundum colorem præ ſe ferant, ſapore tamen optimo atque inprimis ſuavi convivas recreare atque reficere.

De

De his ſi medicorum quorundam requireretur judicium, in eorum alimentorum, opinor, claſſem ab illis referrentur, quæ melancholicum & craſſum ſanguinem generant: quemadmodum & leporibus contigit, quorum tamen caro ſubnigra potiùs quàm nigra eſt, oſſibus interim candidis. Galenus ſanè lib. 3. de locis affectis cap. 6. magnam, ait, in melancholici ſanguinis generatione vim obtinere ex lepore cibum. Et libr. 3. de ſimpl. alimentorum facultatib. cap. 1. *Caro leporum*, inquit, *ſanguinem gignit craſſiorem, ſed melioris ſucci quam bubula & ovilla.* Nec non de attenuante victus ratione: *Caro leporum ad ſiccantem victus rationem eſt accommoda, &c. ſanguinem enim vehementer craſſum gignit.*

Quò magis mirum, quod Plinius libr. 37. cap. 19. tradit, vulgo perſuaſum fuiſſe, lepore ſumpto, gratiam corpori in ſeptem dies conciliari, frivolo quidem joco, cui tamen aliqua debeat ſubeſſe cauſa in tanta perſuaſione. Idem Martialis innuit lib. 5. epigr. 30.

Miſiſti quoties leporem mihi, Gellia, dicis:
Formoſus ſeptem, Marce, diebus eris.
Si verum dicis, ſi verum, Gellia, narras,
Ediſti nunquam, Gellia, tu leporem.

Imò tantum hæc perſuaſio invaluerat, ut in Imperatorum aulis quoque locum invenerit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

venerit. Siquidem Alexandrum Severum eſu leporum corporis venuſtatem affectaſſe, Lampridius teſtatur: unde natum epigramma in ipſum non illepidum quidem, ſi ſyllabarum quantitas per omnia fuiſſet obſervata:

Pulchrum quòd videtis eſſe noſtrum regem,
Quem Syrum ſua detulit propago,
Venatus facit & lepus comeſus,
Ex quo continuum capit lepôrem.

Ad quod ille pari licentia reſpondit:

Pulchrum quòd putas eſſe veſtrum regem,
Vulgari miſerande de fabella,
Si verum putas eſſe, non iraſcor.
Tantùm tu comedas velim lepuſclos,
Vt fias animi malis repulſis
Pulcher, ne invideas livore mentis.

Quæ verò in tanta perſuaſione cauſa ſubſit, equidem dictu videtur difficile, quandiu ab eorum, qui leporinam melancholicum & craſſum nutrimentum corpori præbere affirmarunt, placitis non disceditur: quod fecit Jacobus Pharuſius medicus Rhegienſis, ob id à Johanne Manardo libr. 13. Epiſt. 4. exagitatus. Nam formæ gratia ex probo ſanguine magna ex parte proficiſcitur. Quibus enim ſanguis eſt corruptus, ut menſium ſuppreſſione, hepatisque & ſplenis obſtructione, atque hinc natâ cachexiâ laborantibus, ii decolores fiunt & defor-

deformiores. Et rurſus, qui probum habent ſanguinem, colore ſunt vivido & formâ venuſtiore. Quòd ſi ergo formoſum hominem reddit leporis eſus, probum quoque ſanguinem ut generet, oportet. Atqui id negavit in locis ſuprà allegatis Galenus, cui contradicere in ejus verba jurati non audent.

Quid autem ſi idem ſibimet ipſi obliquè contradicat? Lib. 3. de alimentor. facult. cap. 17. *Sanguis*, inquit, *ad coquendum eſt difficilis, præcipuè craſſus & melancholicus, qualis eſt bubulus. Leporinus autem ut ſuaviſſimus celebratur.* Et cap. 22. *Gallinarum ac columbarum ſanguine nonnulli veſcuntur; qui ſuum ſanguine haudquaquam eſt inferior, neque ſuavitate, neque concoctionis facilitate, plurimum tamen relinquitur à leporino.* Et in priore loco leporinum ſanguinem opponit bubulo, tanquam craſſo & melancholico: in poſteriore eum gallinarum, columbarum, ſuumque ſanguini ob concoctionis facilitatem præfert: in utroque ſuavitatem ejus deprædicat. Certè ut ex ſanguine vitioſo vitioſa fit caro: ita ex ſanguine laudabili carnem quoque laudabilem naſci, rationi conſentaneum eſt. Quòd autem ſanguinis vitia in ipſam quoque carnem tranſeant, in leproſis & lue Venerea infectis videre eſt.

Prærerea plurimum refert, ſuavémne cibum

bum aliquis aſſumat, an inſuavem. Suavitas enim ad faciliorem digeſtionem tantum habet momenti, ut paulò deteriorem potum vel cibum, ſuaviorem tamen, melioribus quidem, ſed minùs ſuavibus Hipprocrates aphoriſm. 38. ſect. 2. anteponendum cenſuerit. Haud vana igitur Martialis de lepore ſententia:

Inter quadrupedes gloria prima lepus.

De quo Mercurialis lib. 2. variarum lectionum cap. 7. *Mirantur*, inquit, *multi, cur Martialis inter quadrupedes lepori primas dederit: qui ſanè mirari deſinent, modò conſiderare velint, quæ à Galeno de ſanguine leporino in 3. de alimentorum facultatibus ſcriptis tradita ſunt, eum nimirum tanquam omnium ſuaviſſimum in pretio habitum: carnem enim talem eſſe, qualis ſanguis, ex quo tota conſtat, non modò omnes medicinæ autores, verùm etiam ipſa ratio declarat. Vnde ſanguine leporis ſuaviſſimo exiſtente, quomodo ejus caro magnam ſuavitatem non contineat, viro erudito creditu difficile erit.* Hactenus Mercurialis. Atque in hanc Martialis ſententiam omnes Apicii ſectatores promptiſſimis pedibus deſcendent, albumque ei calculum adjicient.

A Galeno etiam bubulæ carni imputatur, quòd ſanguis craſſus & melancholicus ex ea in cibo ſumptâ exiſtat. A patribus

autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

autem familiâs in hisce regionibus, ubi bubula in pretio & propè in deliciis eſt, ut hoc credant, vix obtinebit. Siquidem videmus & experimur, illos melancholicos potiùs fieri, hoc eſt, triſtes, qui carnis bubulæ inopiâ laborant, quàm qui ejus veſcendæ ad ſatietatem copiam habent: & hac tamem Galenus leporinam judicat præſtantiorem. Lib. 3. de alimentorum facult. cap. 1. *Caro leporum*, inquit, *ſanguinem quidem gignit craſſiorem, ſed melioris ſucci, quàm bubula*; ſicut & cap. 17. ſanguinem leporinum ob inſignem ſuavitatem præ bubulo tanquam melancholico celebrari ait, ut nihil dicam, quòd ejusdem libri cap. 13. carnem ſylveſtrium carni domeſticorum præfert.

Ut verò ad opinionem illam de leporina carne formæ gratiam conferente, ſtylum referam, quibusdam placet, eam ex verbis potiùs quàm re natam eſſe. Cælius Rhodiginus lib. 14. lection, antiquar. cap. 13 ex græca voce opinionis illius originem deducit. *Leporem*, inquit, *Græci amoribus ſacrum fabulantur, ducto argumento ex etymi ratione, quòd ipſorum linguâ* λαγώς, *id eſt, lepus dicatur* ἀπὸ τοῦ λάειν. *Erotes autem à verbo* ὁρᾷν *utroque viſum ſignificante. Unde forſan prorepſit ſententia, formoſos fieri diebus aliquot leporinâ veſcentes carne.*

At

At Cælius Calcagninus lib. 1. epiſtolicarum quæſtionum ex Latino vocabulo eam perſuaſionem ortam putat, poſthabitâ eorum ratione, qui leporinum pulpamentum putant vi extergendi bilem atram pollere. *In vocibus*, inquit, *antiquitas religionem & auſpiciorum obſervationem magna ex parte conſtare dixit. Hinc in delectu cenſuque faciundo primi Valerius, Salvius, Staterius nominabantur. Non ſecus igitur eos lepidos fieri, & lepôrem mutuari crediderunt, qui lepore uterentur.* Atque hi duo Cælii ad rei veritatem quàm proximè collimaſſe mihi videntur, nec aliam vanæ perſuaſioni cauſam ſubeſſe reor. Interim tamen, quæ de leporina carne ultrò citroque diſputata ſunt, ſuum pondus habent; neque omnino de nihilo ſunt.

Sed ad aliud ænigma calamum transfero.

ÆNIGMA XXII.

Hanc peperi natam, Boreæ cùm jungerer: Auſtro
Cùm juncta hæc fuerit, tum mea mater erit.

SOLUTIO.

BOreas è Septentrione, Auſter è meridie flat. Aqua autem cui partes proponentis in hoc ænigmate tribuuntur, ſpirante Boreâ, qui ventus eſt frigidus & ſiccus, hyeme congelaſcit & in glaciem vertitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

titur. Atque tunc aquæ filia eſt glacies. Eadem illa glacies, flante Auſtro, qui ventus eſt calidus & humidus, liqueſcit, & in aquam denuò redit, atque tunc glaciei filia eſt aqua.

Ovidius lib. 6. metam. fab. 8. Boream ſic ingenium ſuum commemorantem vireſque ſuas prædicantem introducit:

Apta mihi vis eſt: hac triſtia nubila pello,
Hac freta concutio, nodoſaque robora verto.
Induroque nives, & terras grandine pulſo.

Et lib. 1. fab. 7.

Nubila disjecit: nimbiſque Aquilone remotis,
Et cælo terras oſtendit, & æthera terris.

Dicitur hic ventus Græcis Boreas, ut placet Nonio, adoptato nomine ἀπὸ τῆς βοῆς, quòd ſit ſonorus. Aquilonem dixere Latini exiſtimatione celeritatis, quâ aquilam ſuperat.

Auſtrum autem ſuis coloribus paulò antè idem Ovidius ſic depinxerat eodem libro, fabulaque eâdem:

Madidis Notus evolat alis,
Terribilem piceâ tectus caligine vultum.
Barba gravis nimbis: canis fluit unda capillis;
Fronte ſedent nebulæ; rorant pennæque ſinuſq;

Huic nomen acquiſitum ab hauriendis aquis, quaſi dicas, *hauſter*. Græci νότον appellant. Νοτὶς enim humiditatem ſignificat.

Atqui, inquiat aliquis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Si Boreas geminis ſua flamina promit ab urſis,
Urſis oppoſito ſi mittitur Auſter ab axe;
Et par eſt utriusque poli ratioque ſitusque:
Cur non eſt eadẽ vis vento utrique calentq;
Aut ambo atq; madẽt, aut frigore flumina durant?

Hic nodus expeditur à Macrobio lib. 2. in Somn. Scip. cap. 5. ideoque mea verba non deſiderat. *Sciendum eſt*, inquit, *quòd ventus, qui per hunc* (meridionalem) *ad nos cardinem pervenit (id eſt) Auſter, ita in origine ſua gelidus eſt, ut apud nos commendabilis eſt blando rigore Septentrio: ſed quia per flammam torridæ zonæ ad nos commeat, admiſtus igni caleſcit: & qui incipit frigidus, calidus pervenit, Neque enim vel ratio vel natura pateretur, ut ex duobus æquo preſſis rigore cardinibus, disſimili tractu flatus emitteretur.* Nec *dubium eſt, noſtrum quoque Septentrionem ad illos, qui auſtrali adjacent, propter eandem rationem calidum pervenire: & Auſtrum corporibus eorum gemino auræ ſuæ rigore blandire.*

Scitè igitur Buchananus algentem, id eſt, gelidum Auſtri ortum dixit libro 1. Sphæræ.

Quin & Parrhaſiâ tellus declivis ab Arcto eſt,
Uſq; Noti algentẽ quà ſeſe exporrigit ortũ.

Perperam verò Apulejus lib. 1. de mundo, verticem, hoc eſt, polum antarcticum, humidis & auſtrinis vaporibus mollem humo tegi ait, quaſi in ipſo exortu talis ſit auſter, qualis ad nos pervenit.

Sic Manilius lib. 1. Aſtronomicorum, Capricornum vocat *gelidum*, non quòd magis ſit gelidus, quam Cancer, cùm utriusque ab æquinoctiali par ſit diſtantia: ſed quòd nobis bruma contingat, Sole Capricorni limen attingente. Ergo, ut Joſephus Scaliger loquitur, κατ᾽ ἰδιωτισμόν, & ex opinione vulgi hoc epitheton à poëta Capricorno eſt attributum. Eodem jure *rigentem* dixit lib. 2.

ÆNIGMA XXIII.

Qui ſine me nequit eſſe, meus me perdit alumnus.
Idem jure igitur me pereunte perit.

SOLUTIO.

PRoducitur hoc ænigma in medium ab humido radicali, cujus pabulo alitur calor innatus, quo vita hominis conſtat. Meritò igitur calor ille humidi radicalis alumnus dicitur, ſic tamen, ut per alumnum eum accipias, qui alitur, non eum, qui alit. Utroque enim modo ſumi, alibi oſtenſum eſt. Ad eundem modum ignis ille noſter, cujus multiplex uſus, alimentum habet ex ſtramine, lignis, oleo, reſinâ aliiſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

rebus, quæ ignem concipere inflammarique poſſunt.

Quemadmodum autem ignis ille noſter nutrimento idoneo deſtitutus vivere & conſervari ampliùs nequit, ſed quaſi fame contabeſcit & exſtinguitur: ita calorem innatum, conſumpto penitus humido radicali, exſpirare & interire cum vita oportet; id quod in juventute per morbos & contra naturam, in decrepita verò ætate ſecundùm naturam contingit. Quomodo autem mors extremæ ſenectuti ſuperveniens ſit naturalis, docet Cælius Rhodiginus libro 11. lection. antiqu. cap. 38. Ænigmatis igitur ſenſus eſt. Calor innatus humidum radicale, ut ſeſe ſuſtentet, depaſcendo perdit, & pereunte humido radicali ipſe quoque deficit & perit.

Licebit etiam hoc ænigma igni vulgari, illique materiæ, cujus alimento fovetur atque tenetur, accommodare.

ÆNIGMA XXIV.

In lucem veniunt quini uno tempore fratres,
Bini horum barbas parte ab utraque gerunt.
Barbæ aliis expers latus eſt utrunque duobus,
Hinc eſt barbatus quintus, at inde glaber.

SOLUTIO.

CAlicis roſæ vulgaris pars ſuperior foliis roſarum proxima quinque veluti valvis cingitur, quibus conniventibus roſæ nondum maturæ cooperiuntur. Ex his duæ utrinque emittunt fibras quaſi barbas; quæ aliæ prorſus habent nullas. Una, parte alterâ fibris ejusmodi obſita eſt: alterâ nullis.

Vetus quidem hoc eſt ænigma, & tribus verſibus, quantitate ſyllabarum parum obſervatâ, jamdudum comprehenſum, his ſcilicet:

Sunt quinque fratres ſub eodem témpore nati,
Sunt duo barbati, duo ſunt ſine barba creati;
Vnus at ex quinque non eſt barbatus utrinque

Veruntamen quoniam ego veterem materiam novo cultu & regulis proſodiæ magis congruenti (niſi fallor) ornavi, jure quodam hoc loco referri à me potuiſſe putavi.

ÆNIGMA XXV.

Cùm nequeam propriis conſiſtere finibus, inter
Humida mî ſedes corpora jure datur.
Aſt humectandi quoniam mihi nulla facultas,
Humectum quis me corpus habere putet?
Frigore ſervor humique premor, ſed ab igne reſol-
Amiſſoque levis pondere in alta volo. (vor,
Et, niſi me ſublime gelu revocaret in ora
Priſtina, fortè ipſum ferrer ad uſque polum.

SOLUTIO.

ARiſtoteles 2. de ortu & interitu cap. 2. humidum definit, quod non ſuo, ſed alieno termino facilè continetur. Tale autem cùm ſit argentum vivum, haud immeritò inter humida corpora refertur. Quia verò non humectat ut aqua, ſiccum potiùs eſſe quàm humidum, videtur.

Quali temperamento ſit in uſus medicos adhibitum, magnâ inter ſe diſſenſione medici altercantur. Avicenna frigidum & humidum exiſtimat ſecundo gradu. Sunt, quibus placet calidum & ſiccum eſſe quarto. Iſaaco calidum & humidum eſt ſecundo. Amato Luſitano frigidum & ſiccum videtur. Falloppius eorum ſubſcribit ſententiæ, qui calidum & ſiccum ſtatuunt, quem lege tractatu de foſſilibus cap. 37. Caloris tanta ei ineſt impatientia, ut igni adjunctum protinus me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ditetur fugam & in auras evaneſcat, unde & Mercurii nomen accepit.

Hinc nata occaſio ludibrii gratiâ annulum excogitandi, qui ſponte ſuâ & à nemine tactus ſubſultat. Ejus conficiendi utendique modum indicat Falloppius de foſſilibus cap. 11. & de morbo Gallico cap. 76. Eſt autem talis. E lamina cuprea annulum cavum fabrica, eumque argento vivo imple, poſtea foramine obturato, quum libitum fuerit ejusmodi ludum edere, laminæ ferreæ, fornacive ab igne ſubjecto calenti impone. Et ſaltabit annulus, ſpectatoresque jucundo ſpectaculo oblectabit. Cauſa non eſt in obſcuro, cui nota eſt argenti vivi erga ignem odium. Mercurius enim, ſive argentum vivum, ut vix ſenſit ignis calorem, aufugere protinus & ſurſum in auras caloris vi reſolutus abire conatur, nec tamen pondere impeditus valet. Itaque tollit annulum, quaſi eum ſecum abrepturus, & interim annuli gravitate retrahitur ac deprimitur, quæ res motum veluti tremulum parit. Obſerva, Falloppium de impletione annuli ſibi contradicere. Nam de foſſilib. cap. 11. totum implere argento vivo jubet, de morbo Gallico autem capite 36. dimidium tantùm.

Porrò argenti vivi fumus, ſimul ac in aëris frigus impingit, ejus appulſu confe-

ſtim

ſtim conſtringitur, nec ulteriùs aſcendere permittitur. Itaque priſtinâ & denſitate & gravitate recuperatâ, quaſi poſtliminiò argenti vivi ſpeciem induit, atque in terram relabitur. Ejus rei multa habebis exempla apud Georgium Agricolam lib. 9. de re metallica; cui accedat Fallop. de foſſilib. cap. 37.

ÆNIGMA XXVI.

Dic, quibus in terris (& eris mihi Apolline major)
Floribus herba carens & caule & ſemine creſcat?

SOLUTIO.

FIlicem Dioſcorides libro 4. eſſe dicit, *folia ſine caule, ſine flore, ſine ſemine, ex uno pediculo cubiti longitudine, inciſa & alæ inſtar explicata.* Et Plinius lib. 27. cap. 9. *Filicis*, inquit, *duo genera, nec florem habent, nec ſemen.*

Marcellus Virgilius in explicatione prædictorum Dioſcoridis verborum, quibus filicis deſcriptio continetur, ſic ait: *Folia ſine caule, filicem meritò & ex re vocavit. Sunt enim ei folia non minuta illa, quæ numeroſa & penè infinita totis ramulis diſpoſita ſunt, ſed quæ uno pediculo cubitali* (quem tamen bina cubita excedere longitudine Plinius ait) *à terra ſtatim aut ex ſtipite ejus exeunt, in plura & minora alia illa foliola diviſa. Nullos habet caules filix. Si quid enim in ea ſupra terram*

extollitur, pediculi foliorum, non caulis, rationem habet: quoniam negato illi ſemine meritò caulem etiam natura negavit. Propter ſemen enim plerunque caulis eſt. De flore autem & ſemine ſic diſſerit: *Sterilem & ſine ſemine omnes filicem dixerunt. Falſumq; eſt quod jactant aliqui, unâ ſolſtitiali nocte florere filicem, eademque horâ cùm defloruit, ſemen maturum in terram cadere: ideoq; niſi aliquis tunc adfuerit, nec videri florem, nec colligi ſemen poſſe: quæ omnia agyrtarum commenta ſunt humanæ ignorantiæ ad quæſtum tam impudenter illudentium. Neque hoc mendacii genere contenti, ne quid fraudi eorum & ſceleri deeſſet, religionem etiam commentis ſuis addiderunt, natali nocte ejus, quo (ut ſacræ Chriſtianorum literæ teſtantur) inter natos mulierum major alius non ſurrexit, cuncta illa fieri & obſervari præcipientes. Nec ſentiunt, quo dierum numero natalis ea nox & ſolſtitialis illa inter ſe nunc diſtent.* Hactenus Marcellus Virgilius.

E diverſo Hieronimus Tragus in ſuo herbario filici ſemen eſſe aſſerit, idque ſemetipſum collegiſſe citra ullam ſuperſtitionem. In hunc invehitur Janus Cornarius lib. 4. in Dioſcoridem emblemate 163. acriùs ſanè quàm bonus ille vir pro ſuo in rem herbariam ſtudio meritus fuit, ut ex verbis Cornarii, quæ itidem ſubjiciam, patebit.

Etſi Theophraſtus, inquit, *Dioſcorides & Plinius,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

*Plinius, ſilicem neque florem neque ſemen habere tradant: ſunt tamen circumforanei quidam, qui & ſemen oſtendunt & venditant, quod à ſe collectum ſolſtitiali nocte, quam ipſi vigeſimi tertii diei Iunii, vigiliam divi Iohannis Baptiſtæ faciunt, aſſerunt. Eâ enim nocte & florere dicunt, & mox à flore ſemen exidere, quod niſi quis præſens colligat, alioqui haberi non poſſe. Hæc tametſi hactenus pro commentitiis habita ſint, & à doctis refutata, qui & ipſi aliter rem ſe habere cognoverunt, & à veteribus aliter traditum ſciunt: tamen nuper quidam (*nempe Hieronymus Tragus*) edito vulgari noſtrâ lingua Herbario, eadem publico ſcripto aſſerere non dubitavit, teſtatus, ſe neque ſuperſtitione ductum, neque præſtigiis, aut incantationibus, aut ullis characteribus, velut fortaſſis alii ſolent, uſum, rem aggreſſum eſſe, & quater in vigiliæ divi Iohannis nocte tentaſſe, ſubſtratis linteis & verbaſci foliis, an ſemen id deprehendere & excipere poſſet: & ſanè contigiſſe ſibi fatetur, ut manè ante illuceſcentem diem ſemen parvum nigrum papaveris ſpecie repererit, & hoc amplius ac copioſius ſub alia atque alia ſilice, alio item atque alio anno. Se verò non procul inde, cum uno atque altero comite, ad luculentu mignem pernoctaſſe, ut manè elapſi per noctem ſeminis collectionem de linteis ac foliis facere poſſet. Addit idem ſibi occultum eſſe, quomodo hoc contingat, & quid ſecreti natura ſibi per hoc*

 velit.

velit. Ego verò, inquit Cornarius, *hæc ideo hoc loco recenſenda duxi, ut cognoſcatur, velut ille dixit, nullum tam magnum mendacium eſſe, ut teſte & aſſertore careat.*

Fuchſius etiam, quicquid neoterici de filicis ſemine tradunt, commentitium eſſe putat.

Contra omnes hosce, quantumvis magnæ exiſtimationis viros, Trago veritatis teſtimonium Matthiolus perhibet. in comment. in lib. 4. Dioſcor. cap. 179. aſſeritque certò compertum eſſe à naturalium rerum indagatoribus, ſemen ferre filicem averſis foliis inhærens, ſed adeò minutum, ut viſum ferè fallat. Legique id tradit abſciſſis prope radicem foliis & in domo ſuspenſis, ſubſtrato linteolo aut papyro ſub finem Junii, quòd eo tempore matureſcat. Quòd autem vulgus id colligi haud poſſe credit, niſi nocte, quæ proximè feſtum divi Johannis Baptiſtæ præcedit, ſuperſtitioſaque admurmurat verba, quibus cacodæmones, ſeminis ſcilicet hujus cuſtodes, fugentur, id partim fabuloſum, partim ſuperſtitioſum exiſtimat.

Egomet ipſe folia filicis hoc anno 1603 ſub exitum Junii ſuspendi curavi, & in ſubſtrata charta tenuiſſimum pulverem coloris gilvi reperi, qualis & è ſcolopendrii foliis decidere ſolet.

Sicut

Sicut autem compertum eſt, ſi pulvis ſcolopendrii minoris tergo adhæreſcens, muro vetuſto ac madido aſpergatur, inter commiſſuras lapidum emerſiſſe ceterach, ſive ſcolopendrium minus: ita haud dubitaverim, è pulvere in filicis foliorum poſtica parte proveniente, ipſas etiam filices transplantari poſſe. Alia utique ratio nulla eſt, per quam quibusdam in locis ita multiplicetur, ut filicta conſtituat. Verùm de hoc ſuo quisque utatur judicio.

ÆNIGMA XXVII.

Quis duro ſitiens humanum corde cruorem
Quartæ hominum parti lucis ademptor erat?

SOLUTIO.

CAinus & Abel filii primorum parentum Adami & Evæ, ſacrificaturi Deo, ex ſtudii laborisque uterque ſui fructibus victimas ſibi delegerunt: & Cainus quidem, quòd agriculturæ eſſet deditus, è frugibus terræ; Abel autem, quòd pecudes paſceret, è gregibus ſuis ſumpſit, quod Deo adoleret. Cùm verò Deus conſpicuo aliquo ſigno, talique quod Cainum non lateret (fortaſſis igne, qui cælitus deſcendens victimam conſumeret, ut in primo Araonis ſacrificio, Lev. 9. ℣. 24. & in ſacrificio Eliæ, 1. Reg. 18, ℣. 36. evenit) teſtatum fa-

ceret, Abelis hoſtiam magis ſibi probari; quàm Caini, quoniam Abel ex fide ſacrificabat, Hebr. 11. ℣. 14. talemque hoſtiam offerebat, quæ Chriſti typus eſſet: Cainus invidiâ & irâ adverſus fratrem accenſus de eo interimendo conſilium iniit, abductumque in ſolitudinem interemit. Atqui Geneſ. 4. ubi fratricidium hoc narratur, quatuor duntaxat hominum, qui tunc in terra fuerint fit mentiò, Adami, Evæ Caini & Abelis. Sethum enim poſt Abelis mortem natum eſſe, legimus Gen 4. ℣. 1. & 5. ℣. 3. Proinde hac ratione Cainum hominum quartam partem occidiſſe, ænigmate præſenti ſignificamus.

Porrò ſacrificii hujus inter omnia, quorum memoria literis eſt conſecreta, antiquiſſimi veſtigia non obſcura, fabulis tamen involuta ac depravata, in ethnicorum libris reperiuntur. Fabulantur illi, Jovem & Prometheum fuiſſe conſanguineos, Cæloque litaſſe, Jovemque, cùm animadvertiſſet, victimam Promethi Cælo magis arridere, quàm ſuam, crudeliſſimè eum tractaſſe, montique Caucaſo alligaſſe: quæ figmenta tamen ab aliis aliter recenſentur. Plinius etiam lib. 7. in fine capitis 56. autor eſt, Prometheum primum bovem occidiſſe, hoc eſt, immolaſſe, ut Polydorus Virg. lib. 3. de invent. rer. cap. 3. intelligit. Collatio igitur

hujus,

hujusmodi eſt. Qui Juppiter ille antiquiſſimus poëtis, ſacræ ſcripturæ Cainus eſt. Qui Prometheus ille antiquiſſimus poëtis, (nam plures Joves & Promethei fuerunt) ſacræ ſcripturæ Abel eſt. Cainus & Abel fratres in ſcriptura appellantur: Juppiter & Prometheus ſecundùm ethnicos fuerunt conſanguinei. Hi Cælo ſacrificium feciſſe dicuntur: illi Deo. Abel victimam petivit ex gregibus ſuis: Prometheus bovem primus occidiſſe perhibetur, hoc eſt, immolaſſe. Abelis ſacrificium acceptius fuit Deo, quàm ſacrificium Caini. Promethei ſacrificium à Cælo prælatum volunt ſacrificio Iovis. Quòd Cainus invidiâ atque irâ inflammatus fratrem occiderit, ſacra hiſtoria tradit: contrà fabulæ nugantur, Prometheum Iovis juſſu à Vulcano monti Caucaſo affixum miſereque immiſsâ aquilâ afflictum. Quòd verò Prometheus fingitur ignem Deo, ut cum Cicerone loquar, clepſiſſe, quid aliud innuit, quàm ignem è cælo demiſſum victimam Promethei in argumentum gratiæ abſumpſiſſe? Plato certè in Philebo, Prometheum aliquem ignem illum dono potiùs à diis accepiſſe, quàm furto abſtuliſſe, interpretatur.

Vide Danæum de prima ætate parte 2. pluribus in locis, & Polydor. Virg. loco ſuprà citato; ſimulque gratâ mente agnoſce, in

in hujusmodi fabulis, diaboli inſtinctu ad veritatem obſcurandam atque opprimendam ſine dubio excogitatis, ſingulari Dei conſilio rerum verè geſtarum veſtigia non obſcura in divinæ veritatis teſtimonium vel invito diabolo remanſiſſe.

ÆNIGMA XXVIII.

Vbera quis niveo guſtarit turgida lacte
Ante patrem & matrem, ſi potes, ede mihi.

SOLUTIO.

DE unoquoque liberorum ex Adamo & Eva natorum id dici poteſt. Hi enim ſuxerunt ubera Evæ, cùm tamen nec Eva nec Adamus ulla unquam ſuxiſſent, tum quòd primi homines ipſimet eſſent, tùm quòd in ipſo ætatis flore conditi tam tenero alimento haud indigerent.

De Eva autem prima matre verum eſt quod ſequitur:

Lacto meos natos, mihi ſed lactere negatum:
Nam tetigi labris ubera nulla meis.

ÆNIGMA XXIX.

Dic, ubi terrarum duro ſuffoſſa ligone
Fiſſile præbet humus ſaxum, cui ſquamea terga
Inſcripſit natura parens rutilante metallo,
Seu potiùs rerum naturæ dædalus autor?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

SOLUTIO.

IN Comitatu Mansfeldenſi metallorum copiâ fœcundo eruitur lapis niger fiſſilis. In hoc manifeſtæ apparent effigies diverſorum animalium, inprimis verò piſcium, quos vicinus alit lacus. Perinde ac ſi piſcis inter duos lapides exſtinctus ſui imaginem auream in utroque reliquiſſet. Ex dono Generoſi Comitis Solmenſis Domini Hermanni-Adolphi ejusmodi lapides aliquot habeo. Bertius in deſcriptione Saxoniæ tradit, ranarum etiam lineamenta in iis conſpici & gallorum, quodque omnem fidem ſuperat, Pontificis barbati triplici corona ornati imaginem effoſſam eſſe.

Subjiciam reverendi viri domini Johannis Piſcatoris, Theologiæ in illuſtri gymnaſio Herbornenſi profeſſoris, eâdem de re teſtimonium. *Quod hic de Pontificis*, inquit, *imagine lapidi fiſſili impreſſa narratur, ipſe audivi ita ſe habere ex ore præfecti rei metallicæ in iſto loco, cujus hoſpitio uſus ſum anno Domini 1569. Idem affirmabat, Spangenbergium Theologum & paſtorem iſtius oppidi, penes ſe habere lapidem ibi effoſſum, cui impreſſa ſit imago Salvatoris, ut vulgò pingi ſolet, nempe puerulus nudus pulvino inſidens, & globum alterâ manu tenens. Lapides autem piſcium formas habentes donavit idem complures & mihi & comitibus meis.*

ÆNIG-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA XXX.

Omne loci ſpacium repleo: ſimul at tamen illis
Sum quoque nullus ubi debuit eſſe locus.

SOLUTIO.

DEus in omnibus locis eſt, & quidem (ut loquuntur) repletivè. Idem tamen etiam eſt, ubi ipſemet nullum locum eſſe voluit. Quod meliùs intelliges, ſi rem paulò altiùs repetivero.

Loci tanta eſt intercapedo, quanta eſt ipſius mundi. Itaque qui termini ſunt mundi, iidem ſunt & loci termini. Extra mundum autem non magis eſt locus, quàm fuit ante mundum conditum. Ariſtoteles quid ſuper hac re ſenſerit, invenies lib. 1. de cælo cap. 9. ubi ait, nec locum, nec inane, nec tempus extra cælum eſſe, quòd in omni loco corpus eſſe poſſit, & inane id ſit, in quo nullum corpus eſt, ſed eſſe queat, & tempus ſit numerus motus: motus autem ſine corpore naturali eſſe nequeat. Iam verò dubium non eſt, quin Deus extra mundum ſit. Siquidem mundus eſt finitus, Deus infinitus. Infinitum autem à finito comprehendi nequit. Quod Salomon 2. Chronic. cap. 6. ℣. 18. in templi dedicatione ſignificantiſſimis verbis expoſuit, ſic Deum alloquens: *Ecce cæli cælorum non capiunt te, quantò minus domus*

hæc, quam ædificavi? Sanè ſi extra mundi limites Deus non eſſet, cæli cælorum eum caperent. At non capiunt. Ergo extra mundi limites eſt.

Quàm verò difficile ſit, credere extra mundum nihil eſſe loci, vel ex eo perſpicitur, quòd non tantùm locum ibi nobis imaginamur, ſed etiam, quoties eâ de re ſermocinamur, voculas, locum ſignificantes, volentes nolentes in ore habemus. Quid enim adverbia iſta, *extra*, *ibi*, *ubi*, aliud ſignificant, quàm locum? Tanta ſcilicet humani intellectus eſt infirmitas, tanta verborum inopia, ut negantes etiam locum, locum tamen ponere videamur. Sic cùm dicit Ariſtoteles; *Extra cælum nec locus, nec inane, nec tempus eſt*; quid *extra* illud, annon eſt nota loci? & ea tamen utitur Ariſtoteles locum negans.

Ad Deum autem quod attinet, tum intelliges, quomodo extra mundum exiſtens non ſit in loco, cùm aſſecutus fueris, ubi Deus ante mundum conditum fuerit. Hem iterum dico *ubi*, nec locum tamen ante conditum mundum fuiſſe ſentio; uti neque tempus, quòd hac voce *ante*, quæ nota eſt temporis, utor, imò potiùs abutor. Nam, ut Beroaldus libro 1. Chronolog. cap. 1. ait, *penuria ſermonis & rerum, quæ ſermone ſunt explicandæ, ignoratione*

tione & perverſa intelligentia ſit, ut verbis interdum abutamur.

ÆNIGMA XXXI.

Nec tempus cùm gignor erat, nec erat locus, & me
Naſcentem tempus ſuſcipit atque locus,

SOLUTIO.

DOminus noſter Jeſus Chriſtus à Deo patre ab æterno genitus eſt ſecundùm divinam naturam. Eſt igitur genitus, priusquam vel tempus vel locus eſſent. Hæc enim cum mundo nata ſunt & initium habuerunt. At humana Chriſti natura cœpit in utero virginis Mariæ multis ab orbe conditio annis; ideoque tum cœpit, cùm tempus & locus jam eſſent. Proinde tempus & locus Chriſtum in carnem venientem ſuſceperunt, quod perinde eſt ac ſi dixiſſem: Chriſtus homo natus eſt in tempore & in loco.

ÆNIGMA XXXII.

Intra res omnes ſum totus, totus & extra.
Eſſe etenim partes neſcit habere meum.

SOLU-

SOLUTIO.

DEum infinitum, totum eſſe, ubi eſt, ſimplicitas naturæ divinæ poſtulat. Nam ſi Deus una ſui parte eſſet in hoc loco, aliâ in alio, non ſimplex, ſed compoſitus eſſet. Atqui à nemine componi potuit, quia nemo Deo prior fuit. Præterea omnes compoſitionis modos, ut ſunt, ex eſſe & eſſentia, ex actu & potentia, ex natura & ſuppoſito, ex ſubſtantia & accidentibus, ex materia & forma, ex partibus integralibus, ex genere & differentia, à Deo eſſe alienos, partim Zanchius lib. 2. de natura ſive attributis Dei, cap. 2. quæſt. 1. partim Franciſcus Suarez disput. 30. metaphyſ. ſection. 3. & 4. ſubtiliter probant. Huc pertinet locus Lactantii, qui legitur lib. 1. Inſtit. Chriſt. c. 3. *Quicquid capit diviſionem, & interitum capiat neceſſe eſt. Si autem interitus procul eſt á Deo; quia incorruptibilis eſt & æternus: conſequens eſt, ut dividi divina poteſtas non poſſit.* Atque ex his concluditur, Deum ſimpliciſſimum eſſe. Quòd ſi autem ubicunque Deus eſt, totus eſt, efficitur, eum totum eſſe non ſolùm in hac rerum univerſitate, verùm etiam extra eam; quod in ænigmate aſſeritur.

Quamobrem qui ab iis, qui duas in Chriſto naturas agnoſcentes, divinam in omnibus,

nibus, humanam autem in uno loco (putà nunc in cælo) eſſe tradunt, percunctari audet, an igitur humanitas Chriſti ad partem dextræ Dei (per hanc autem percunctator ille divinam naturam ſive Deum intelligit) ſedeat, an verò ad totam; viderit, ne ipſe dextram Dei ſive ipſummet Deum dividat, cujus tamen erroris alios nullâ ipſorum culpâ inſimulare conatur; atque ita in foveam, quam alteri fodit, ipſemet incidat.

Audi de hac calumnia querelam Theologorum Heidelbergenſium in reſponſione ad Epitomen Colloquii Maulbrunnenſis à Theologis Wirtenbergenſibus editam. *Criminantur*, inquiunt, *adverſarii, nos, cùm Chriſti corpus ubique eſſe negemus, dextram Dei expandere & dividere, ita ut una ejus pars hôc, altera verò alio loco ſit, cùm tamen ipſi hâc in parte quàm turpiſſimè labantur. Nam vel idiotæ intelligere non eſt difficile, ſi humanitas Chriſti (ut ipſi colligunt) ideò non ad totam, ſed tantùm ad partem dextræ Dei ſedet, quòd uno duntaxat loco eſt: dextram Dei non totam uno illo loco eſſe, ubi humanitas eſt, ſed unam partem tantùm illo, & alias partes aliis locis eſſe. Si enim quovis loco tota eſt (ut nos affirmamus & profitemur) ſequitur ſanè, humanitatem non ad partem, ſed ad totam dextram, ubicunque ea ſit, ſedere. Atque ita injuria nobis fit, cùm humanitatem ad partem tantùm dextræ*

Dei

Dei collocare dicimur. Itaque hæc aut ingens cæcitas eſt, quâ iſti homines à Deo puniuntur, ut non videant, quomodo ſe ipſi conficiant; aut incredibilis audacia, quâ ſe omnes homines ſuis cavillis & calumniis ita faſcinaturos exiſtimant, ut nemo alba & atra diſcernere queat. Hactenus illi.

ÆNIGMA XXII.

Dic mihi, quid ventis, rapidi quid fulminis alis,
Quid ſtellis fixis ocyus orbis habet?

SOLUTIO.

VIſus momento citiùs ſtellas fixas immenſo intervallo à nobis diſtantes apprehendit. Tametſi enim illæ tardiſſimè circa terram volvi videantur, velociſſimè tamen eas moveri argumento eſt, quòd 24 horarum ſpacio totum terrarum orbem perluſtrant & ambiunt. Hujus autem ambitus tenet 5400 milliaria Germanica, ideoque ſtellæ æquatori propinquæ in terra conficiunt unius horæ ſpacio 225 milliaria, quæ utique magna celeritas eſt. At quantò major ſtellarum fixarum in orbe proprio celeritas fuerit; Tantò ſcilicet, quantò orbis ille terrarum orbe major eſt, Exigua tamen hæc eſt, ſi ad viſus celeritatem comparetur. Is enim uno quaſi momento orbis illius ſemidiametrum percurrit. Cælius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Rhodiginus antiquarum lect. lib. 1. cap. 10. animum nos ſideribus velociorem acce-piſſe ait.

ÆNIGMA XXXIV.

Cum glacie poſſum vitreo certare nitore:
In toto aſt humor corpore nullus ineſt.
Quum flammæ admoveor, me corripit illa voratque:
Suſtinet ardentem lympha, nec interimit.
Mercurio poſſum ſimilari: ſum tamen illo
Vigecuplo levior, ſum magis apta fugæ.
Impatiens ignis patulas volat ille ſub auras:
Me tepor & fermè quælibet aura rapit.
Quæ mihi temperies, medicos diſſenſio torquet,
Me calidam putat hic, ille putat gelidam.
Exſtinguo Venerem fuge me cane pejus & angue,
Quiſquis adhuc illi fœmina máſve ſtudes.

SOLUTIO.

CAmphoræ, ſive, ut alii vocant, caphu-ræ, præſens ænigma eſt dicatum, ejuſ-que varias proprietates ordine recitat. Veteribus ignota fuit, nec ulla ejus fit mentio in Galeni, Dioſcoridis & Plinii libris. At Græci recentiores & Arabes poſteris temporibus eam ſuis ſcriptis celebrârunt. Diu lis de Camphoræ natalibus inter eruditos viguit. Leonhardus Fuchſius & Georgius Agricola, quaſi in terra naſcatur, bitumi-

nis ſpeciem eſſe perperàm voluerunt; quia bituminis inſtar ardet, & ſuccini (quod ſpecies eſt bituminis) odori proxima eſt: quodque tunc uber ejus proventus (ſi Serapioni credendum) cùm frequentia tonitrua & terræ motus contingunt, quaſi tunc à terra dehiſcente, ſicut ſulphur & bitumen, eructetur. Platearius etiam ſuccum herbæ cujuſdam eſſe inani opera contendit.

Siquidem noſtra ætate in propatulo eſt, arborem eſſe, quæ camphoram gignit, eamque in India provenire tantæ proceritatis atque amplitudinis, ut ingenti hominum multitudini umbram præbere valeat. Et hoc fortaſſis illud eſt, quod olim ab Avicenna ſignificatum, ſcribente magnam eſſe arborem facientem umbram hominibus. Sic autem gignitur, ut ex trunco hujus arboris pars aliqua camphoræ gummi ritu per corticis rimas effluat, pars lamellarum inſtar ligni interveniis impacta reperiatur.

Verùm enim verò, ut ad deſtinatam ænigmatis ſolutionem ſtylum preſſiùs dirigam, camphora colore & corpulentia glaciei quàm ſimillima eſt. Humiditate tamen aquea vacat, nec ullum digitis contrectata præ ſe fert madorem. Ignem facillimè concipit, flammaque tam pertinaci flagrat, ut in aquæ miſſa ſuperficiem nequaquam exſtinguatur, ſed in ea fluitet

& ardeat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

& ardeat bituminis more. Mercurium (hoc nomine argentum vivum ſignificari, ſuprà traditum eſt) levitate multis paraſangis antecedit, ipſaque adeò fugacitate. Hic enim ignis calore, quem maximè averſatur, & tolerare niſi arte coactus recuſat, ſtatim reſolvitur, & in auras quaſi fumus abit. Illa verò, etiamſi nullus adſit ignis, per ſe in aëre, præſertim calidiuſculo, evaneſcit, niſi ſummâ curâ cuſtodiatur. Cuſtoditur autem ſecuriſſimè vaſe marmoreo vel alabaſtrino recondita, & ſemine milii, pſylii vel lini ſepulta. Inveniuntur etiam, qui pipere eam obruant, ſic minùs diſſipationi obnoxiam fore ſperantes.

De temperamento ejus perplexa agitatur inter medicos quæſtio. Quidam frigidam & ſiccam in tertio gradu eſſe volunt; alii calidam & ſiccam in ſecundo.

Priori ſententiæ patrocinatur Avicenna lib. 2. tractat. 2. cap. 124. eumque experientiæ ſuffragia non deficiunt. Siquidem camphora capitis dolores ex calore provenientes illita mulcet, inflammationes reſtinguit. Renes & ſeminaria vaſa refrigerat. Eryſipelas lenit & profligat. Sanguinem è naribus profluentem ſiſtit, tum naribus indita, tum fronti cum ſedi aut plantaginis ſucco impoſita. Collyriis ad calidas oculorum lippitudines miſcetur.

Poſterior autorem jactat Averrhoëm lib. 5. Colliget, cap. 56. ſpecioſisque & probabilibus argumentis itidem ſeſe commendat. Nam camphora ſubamara eſt, accenſa ardet, acri nares odore ferit, partiumque tam eſt tenuium, ut evanida etiam ſit, & in auras levi de cauſa diſſipetur. Quis verò primâ fronte hæc non arbitretur calidæ naturæ argumenta?

Sed regeri poteſt amarus in opio ſapor; & in eodem non minor ad flammam concipiendam proclivitas, quod tamen frigidiſſimo eſſe temperamento conſtat. Acetum autem quàm acri odore nares feriat; quis niſi olfactu deſtitutus, ignorat? Cui item ignotum, quantâ celeritate viſcera pervadat aſſumptum? Et frigidum tamen eſſe, palàm eſt. Aëtius certè tetrabibli. 1. ſerm. 1. & 2. frigefacere acetum & partium eſſe tenuium, paſſim prædicat.

Garcias ab horto camphoram ſecundo ordine calefacere & ſiccare diu putavit: ſed, cùm longinqui temporis uſu & periclitatione didiciſſet, ophthalmiis & oculorum inflammationibus ambuſtisque impoſitam non minùs refrigerare, quàm nivem, ſententiam retractare coactus eſt.

Averrhoës etiam vim refrigerandi camphoræ libri ſuprà dicti cap. 29. aſſcribit: *Vides*, inquiens, *quòd non idem color eſt in*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

re calida & in re frigida, ſicut albedo quæ eſt in ſale & camphora. Quapropter veri ſimile eſt, eum de diverſis camphoris, diverſis in locis eſſe locutum. Utique haud dubium eſt, quin illa, cujus cap. 56. mentionem facit, cum camphora Avicennæ eadem non fuerit. Suam enim Avicenna facit arboris cujusdam lachrymam: at Averrhoës inter res in mari naſcentes ſuam enumerat.

Matthiolus in comment. in Dioſc. lib. 1. cap. 75. de temperam. camphoræ ſic diſſerit, ut veluti in bivio conſtitutus dubitare videatur, in utram ſententiam diſcedat.

Johan. Fragoſus in brevi aromatum, fructuum, &c. ex utraque India in Europam delatorum, cap. 7. calidam quidem eſſe putat ob illas rationes, quas ſuprà protulimus: per accidens tamen refrigerare earum rerum ope, quibus permiſcetur: quam ſententiam alii quoque profitentur & defendunt. Experientiæ trutinâ qui rem expendere velit, refrigerio aptiorem inveniet quàm calefactioni.

Supereſt ultimum diſtichon, quo innuitur, camphoram Veneri eſſe inimicam, hoc eſt, generandi vim minuere aut abolere. Id ita ſe habere, affirmat Cardanus lib. 5. de ſubtilitate, aliique non pauci medici, profeſſionis ſuæ quaſi veterani; atque inter hos Fernelius lib. 5. methodi medendi cap. 17.

campho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

camphoram, quam frigidam & ſiccam ſtatuit, libidinem exſtinguere ſcribit. A quibus discordat Scaliger exerc. 104. diſt. 8. experimentorum propriorum teſtimonio à tam atroci injuria camphoram vindicare ſatagens. Ego nec in hujus, nec in illorum verba juratus, eligam quod eſt ſecuriſſimum, hoc eſt, à camphorâ intra corpus exhibendâ renibúsve illinenda, niſi id fiat exiguo pondere & cum aliqua correctione, quo ad poſſum, abſtinere malo, quàm periculum ejus rei faciens, in periculum aliorum valetudinem adducere. Atque illud interim mecum cogitabo:

Haud noſtrũ inter vos tantas componere lites.

Exempla camphoræ aliorum medicamentorum mixturâ temperandæ in antidotis contra peſtem frequentia ſunt. Extat etiam pulvis quidam contra febres & peſtem in commentario, quem Johannes Crato Archiater Cæſareus de peſte ſcriptum poſteritati reliquit, qui ex zuccari Candi partibus tribus, zingiberis duabus, camphoræ parte unâ conſtat, eumque ab infinitis hominibus magno conmodo uſurpatum, & longè ante ſua tempora celebratum teſtatur. Meo etiamnum tempore in confinio Poloniæ & Sileſiæ in uſu fuit frequenti. Datur auten drachmæ pondere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

cum aqua cardui-benedicti vel ſcabioſæ, aceto item & vino: ſed vinum Crato improbat. De mixturæ ratione judicium Cratonis eſt, quod ſequitur, in quo ſuam quoque de camphoræ temperamento ſententiam prodit. *Cur hîc,* inquit, *addatur camphoræ zingiber, facilè conjici poteſt, quia autor camphoram frigidam exiſtimavit, ſicut & vulgò habetur: ſed camphora ſine dubio tenuiſſimarum eſt partium, calefacit cum calidis, refrigerat cum frigidis.* Nec diſſimilis priori eſt pulvis diaphoreticus, qui conſtat ex maci, camphora & tabulis manus Chriſti perlatis; ſic ut macis ſint unciæ duæ, tabularum manus Chriſti quatuor, camphoræ dimidia, atque hujus pulveris drachma cum liquore convenienti præbita, ad ciendum ſudorem eſt efficaciſſima. Eſt, qui camphoræ grana decem cum carabes ſcrupulo in aqua plantaginis, contra alba menſtrua exhibet, nec ſine commendatione. Sed de hoc ſatis.

ÆNIGMA XXX.

Me metuunt omnes, & me nihilominus omnes
Mortales optant, quotquot hic orbis habet.

SOLU-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

SOLUTIO.

VErba Catonis Majoris apud Ciceronem in dialogo de ſenectute hæc ſunt: *Senectutem ut adipiſcantur omnes optant; eandem accuſant adepti.* atque ea verba occaſionem huic ænigmati dedêre.

Ad prius quod attinet, ideo optamus & ſperamus ſenes fieri, ne citò eſſe deſinamus. Omnia enim naturæ inſtinctu eſſe deſiderant, nihilque ſui deſtructionem appetit, teſte Ariſtot. 2. de generatione & corrupt. capite 10. Hinc illud divi Hieronymi: *Nemo tam fractis viribus & decrepitæ ſenectutis eſt, ut non ſe putet unum adhuc annum victurum;* & illud Senecæ: *Nemo tam ſenex eſt, ut improbè unum diem non ſperet.*

Sed cur ſenecturem adepti (quod poſteriore loco dicebatur) eam accuſant adeò, ut plerisque ſenibus ſic odioſa ſit, ut onus Ætnâ gravius dicant ſe ſuſtinere. Nimirum quia ſenectus calamitoſa magis, quàm beata, multa ſecum vehat incommoda: quod innuit Græcus ille verſiculus:

Φοβοῦ τὸ γῆρας: οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον.

Metue ſenectam: ſola namque non venit.

At quænam ſunt illa incommoda? Ea ſic expreſſit Palingenius in Virgine:

Obrepit canis rugoſa ſenecta capillis,

Secũ multa trahens incommoda corporis atq;
Mentis: nam vires abeunt, ſpeciesq; calorq;,
Nec non deficiunt ſenſu: audire, videre
Langueſcunt, guſtusq; minor fit: deniq; ſemper
Aut hoc aut illo morbo vexatur, inermi
Manduntur vix ore cibi: vix crura bacillo
Suſtentata meãt: animus quoq; vulnera ſentit,
Deſipit & longo torpet confectus ab ævo.

Et Horatius in arte poëtica:

Multa ſenem circumveniunt incommoda: vel quòd
Quærit & inventis miſer abſtinet ac timet uti,
Vel quòd res omnes timidè gelidèq; miniſtrat:
Dilator, ſpelongus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, caſtigator cenſorque minorum.

Audiamus & ſenis in Menæchmis Plauti de ſenectute querelam:

Vt ætas mea eſt, atque ut huic uſus facto eſt,
Gradum proferam, progredi properabo.
Sed id quàm facile ſit mihi, haud ſum falſus.
Nam pernicitas deſerit, conſitus ſum
Senectute, onuſtum gero corpus, vires
Reliquêre. ut ætas mala merx eſt. ergo.
Nã res plurimas peßimas, cùm advenit, affert,
Quas ſi autumẽ omnes, nimis longus ſermo ſit.

Huc pertinet colloquium Dorippæ mulieris & Syræ anus apud eundem in Mercatore actu 4. Do. *Quin is ocyùs?* Sy. *Nequeo mecaſtor; tantum oneris eſt, quod fero.*

Do.

Do. *Quid oneris?* Sy. *Annos octoginta & quatuor.* Atque ex iſtis teſtimoniis multiplici experientiâ comprobatis innoteſcit, ſenectutem mortalibus oneroſam & moleſtum eſſe. Sed quibus? obſecro. Iis ſcilicet, qui perverſo judicio eam æſtimant, nec eâ, quâ debent, animi moderatione uſurpant.

Vires, inquis, corporis minuit. Non equidem æqualiter quibuslibet, ſed iis maximè, quibus intemperanter acta fuit juventus. Et quid tum poſtea, ſi interim animi vires augeſcant? Scriptura, Jobi 12. ŷ. 12, ſenibus ſapientiam & multi temporis prudentiam attribuit.

Palingenius in Libra, corporis quidem robur in ſenibus minui, at animi vires creſcere, his verſibus pronunciat:

Huc accedit item, quòd corpore debilitato
Vis animi creſcit. quare imbecilla ſenectus
Conſilio ſuperat juvenes mentisque vigore.
Ingenio plerunque caret, qui robore præſtat.

Ideoque Cicero libro 1. offic. præcipit, ut ſenibus labores corporis minuantur & exercitationes animi augeantur. Et quoniam ſenectus conſilio rerumque uſu valet; ad Reip. gubernacula præ aliis ætatibus idonea eſt, adeò, ut Plutarcho illa Resp. ſalva videatur, in qua ſenum conſilia, juvenumque haſtæ primum locum obtinent.

Sed rugis, inquis, ſenectus faciem arat;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

caput & mentum canis conſerit, hominemque contemptibilem reddit. Quin imò rugarum illarum & caniciei fructus eſt autoritas, & reverentia, quam itidem ſcriptura ſenibus jubet deferre: Levit. 19. verſ. 32. *Coram canicie aſſurgito, ut honorem habeas faciei ſenis.* Proverb. 20. verſ. 29. *Dignitas ſenum canicies.* Quòd igitur à junioribus aliquando deridentur & ludibrio habentur, id deriſorum potiùs malitiâ fit, quàm culpâ ſenectutis; quæ per ſe venerabilis eſt, præſertim ſi cum prudentia & vita immaculata ſit conjuncta, ut docetur Sap. 4. verſ. 8. & 9. Veriſſimum igitur illud Catonis Majoris in dialogo Cicer. de ſenectute judicium: *Non cani, non rugæ repente autoritatem afferre poſſunt, ſed honeſtè acta ſuperior ætas fructus ſenectuti præbet extremos.* Quòd nocte dieque illorum animis obverſetur, qui vivendi ſpacium ad limen ſenectutis nondum protraxêre.

Sed pergis. Senectus injucunda eſt & voluptatibus privat. Si corporis voluptates intelligis, eò magis amplectenda eſt, quò ab eis eſt remotior. Harum enim clandeſtinis illecebris, tanquam arietibus quibuſdam, Diabolus tum animi, tum corporis integritatem, quanta poſt lapſum in hominem cadere poteſt, pertinaciſſimè attentat & affligit; interdum etiam ſic labefactat, ut ho-

hominem, niſi infirmus ejus ſpiritus Spiritu Dei ſtabiliretur, prorſus everteret atque peſſundaret. Nec ſolum corpus turpibus libidinis & incontinentiæ ſordibus polluit, éque ſecunda valetudine in adverſam deturbat; verùm etiam animum pulcherrimo pietatis & virtutis amictu ſpoliatum in ſpurciſſimum vitiorum cœnum eadem opera præcipitat. Omitto indelebiles maculas, quæ ex flagitioſis voluptatibus famæ & exiſtimationi inuruntur. Scitè igitur Franciſcus Petrarcha in dialogo de ſenectute; *Corporeæ voluptates venientes culpam ferunt; abeuntes pœnitentiam pudoremque & ſæpe doloris materiam relinquunt*: eamque ob cauſam Architas Tarentinus nullam capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem, hominibus à natura datam dicere ſolebat.

Ergo neutiquam vituperanda ſenectus, quæ id nobis aufert, quod eſt in adoleſcentia vitioſiſſimum; imò ſumma ejus laus eſt, quòd voluptates corporis non magnopere deſiderat, & animi interim longè potioribus oblectamentis perfruitur.

Quænam illa ſunt? inquis. Primas inter hæc tenet meditatio Legis divinæ, ad quam ſenes animos alieniores à corporis voluptatibus habentes, præ junioribus ſunt opportuni. Hæc autem cui voluptati eſt, is beatus prædicatur pſalmo primo. Nec leve

oblectamentum ſenes ex ante-actæ vitæ recordatione capiunt. Nam ſi ea proba fuit, quantum ex ea ſolatium? Sin improba, meritò ſibi gratulantur, quòd ab ea diſceſſerint. Quàm verò jucunda eſt ſenibus variarum rerum ſcientia, quam vitæ diuturnitate ſunt conſecuti? Quàm grata veneratio juniorum? Quàm pulchra illa monendi & corrigendi juniores poteſtas? Sed, inquis, quid jucundi in eo eſſe poteſt, quod morti tam propinquum eſt? Ex Dei verbo noſſe debet ſenex, ſe ex hac vita ærumnoſa in aliam meliorem tranſiturum, tantoque magis lætari, quantò ultimæ metæ eſt propinquior. Feſſis utique hoſpitio nihil eſt gratius. Quid verò; an in reliquas ætates mors nihil habet imperii? Quoties nunc tenerum infantem, nunc floridum adoleſcentem, nunc vegetum juvenem, nunc robuſtum virum è medio tollit? Ergo nulla non ætas morti propinqua eſt, cùm neſcias, quâ te Deus ex hac vita ſit evocaturus. Meminerint etiam ætate provectiores, onera ſenectutis ſibi cum multis aliis eſſe communia, nec inani voto legi naturæ ſe ſolos exemptos eſſe, nec ultra ævi noſtri terminos perennare velint. Denique cùm Deus longævitatem ceu donum ſingulare in ſcriptura prædicet; cùm diuturnam vitam naturæ inſtinctu omnes optent: ingrati ſanè ſunt, qui indignan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

dignantur, eò ætatis ſe perveniſſe, quò diu vivendo non poterant non pervenire.

Plura hujus argumenti leguntur apud Toſſanum in tractatu de ſenectute, Ciceronem in dialogo de eadem, & alibi paſſim; Plutarchum in libro, *num ſeni gerenda ſit respublica*; Franciſcum Petracham de remediis adverſæ fortunæ, dialog. 83. &c.

ÆNIGMA XXXVI.

Invictum mihi robur ineſt. non igne caleſco
Aut ſolvor; multò deſtruor igne minùs.
Nil mihi duricie certat: diffringitur incus,
Et rimas, qui me, malleus, icit, agit.
Vis igitur niſi me peregrè infeſtaverit; auſim
Dicere, perpetuum robur ineſſe mihi,
Quæ vis illa, rogas? fio tractabilis hirci
Sanguine, & artificis diſco ſubire manus.

SOLUTIO.

ADamantis nobiliſſimæ & pretioſiſſimæ gemmæ natura, qualem veteres ei attribuunt, ænigmatis hujus compendio proponitur, eaque tribus potiſſimùm conſtat proprietatibus. Quarum prima eſt, quòd adamas nunquam incaleſcat, multòque minùs igne dometur, aut corrumpatur. Altera, quòd tantâ ſit duricie, ut incudibus impoſitum malleorum ictus eludat, ipſosque adeò malleos frangat & incudes

in partes diſſilire faciat. Quare nomem ei inditum ab α privativa particula, & δαμάζω domo, quaſi malleo & igne ſit indomabilis, quod Plinius indomitam vim interpretatur. Tertia, quòd cæterâ omni vi infragilis & invictus ſolo hircino ſanguine rumpatur, ſi eo adhuc recenti & calido maceretur. De quibus vide Plinium lib. 37. cap. 4. & Solin. in Polyhiſt. cap. 55.

Ut autem ſingulas excutiamus, Falloppius capite 8. de foſſilibus, & de morbo Gallico cap. 35. adamantem in igne frigidum manere, ejusque potentiam aſpernari non tantùm credit, verùm etiam duabus de cauſis id fieri oſtendit. Una eſt, quòd pori adamantis adeò ſint compreſſi, ut ignem quantumlibet ſubtilem non transmittant. Altera, quòd adamas ſulphuris expers ſit, atque ideò ignis in eo pabulum non inveniat, quo tanquam viatico inſtructus gemmam tam denſam prorſus peragrare queat. Verùm meo quidem judicio utraque ratio ſpecioſa magis, quàm vera eſt.

Ad priorem quod attinet, calor igneus poris nullis indiget, per quos in ſolidum aliquod corpus ſubeat. Siquidem in frigus ſibi inimicum ſic agit, ut ſi cominus venerit & ſuperaverit, extimas corporis frigidi partes priùs invadat & occupet, deinde ab his ſenſim in interiores pergat, nec antè deſiſtat,

quàm

quàm potiatur intimis, niſi corporis magnitudo obſtet. Atqui frigus adamantis calori ignis contrarium & inimicum eſſe, haud opinor aliquis negaverit. Nec tanti reperiuntur adamantes, ut eorum magnitudo penetrationi caloris quaqua verſum obſtet.

Poſterior ratio, quam Falloppius ab Alchymiſtis mutuatus eſt, æquè parum habet momenti. Frivolum enim eſt, exiſtimare, quicquid igne calefit, ſulphur in ſe continere. Alioqui idem pari jure de aqua communi concedendum foret, quam igne calefieri, nemo ignorat. Thermarum autem conditio eſt diverſa. Quòd ſi inſuper ignis ſulphur illud ſectatur tanquam pabulum ſuum; conſequens erit, omnia, quæ incaleſcunt igne, eodem abſumi & corrumpi. Nam quicquid ſectatur pabulum, in eum id finem facit, ut eo veſcatur & ſeſe ſuſtentet. Unde ſequeretur, aurum quoque non ſolùm ſulphuris mixturâ conſtare, quoniam ignitur; verùm etiam detrimentum ſui, cùm igne liquatur, accipere. Atqui hoc naturæ auri repugnat, ex Plinii ſententia, qui lib. 33. natur. hiſtor. cap. 3. auro igne nihil deperire affirmat: illud autem non omnes chymici concedunt.

Equidem adamantes noſtros diutiùs cæteris gemmis ignis fervorem tolerare, in

in eoque incolumes & integros perdurare, ab iis, qui gemmarum naturam rimantur, animadverſum eſt. Cardanus lib. 7. de ſubtilitate teſtatur, adamantem ignibus ad nonum diem reſiſtere, tantoque temporis intervallo omnino nihil pati, poſt etiam ad multos dies manere illæſum. Quod ego de ſubſtantia adamantis veriùs crediderim, quàm de qualitate. Utut ſit, ſi, non niſi per certum & definitum temporis ſpacium ignis efficaciſſimum calorem perfert, quid aliud inde infertur, quàm adamantem elapſo iſto tempore non ampliùs igne indomitum & invictum, ſed ejus injuriis obnoxium eſſe?

Falloppius de foſſilibus cap. 8. gemmas conſervari frigore, corrumpi calore, adamantis exemplo probat. Hunc enim loco tepido calidove repoſitum vim ſuam colorisque gratiam amittere. Proinde qui integros ſervare ſtudent, cùm ire volunt cubitum, annulos ſibi demere, & vel in aquam frigidam demittere, vel in marmore aliove loco frigido collocare. Quod non negligenter prætereundum. Nam ſi tantillus calor ad vitiandos adamantes non eſt inefficax: quantò plus nocumenti ex maximo intenſiſſimoque ignis ardore capient? Nimirum in cineres vertentur, ut paulò antè Falloppius dixerat. Omnino non incaleſcere adamantes noſtros, ſi quis affirmare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

mare auſit, hunc ad gemmarum politores ablegamus, in quorum officinis animadvertet, adamantes ex attritu mutuo non minus caloris contrahere, quàm cæteras gemmas aliáve corpora ſolida, quæ inter ſeſe confricantur: quantò igitur faciliùs igne calefient? Atque ex hiſce patere arbitror, primam proprietatem noſtris adamantibus non ineſſe.

Ad ſecundam, quæ eſt duricies tot veterum ſcriptorum encomiis decantata, ſtylum promoveo. Hac utique quàm maximè pollere adamantes oportet, ſi ita ictum reſpuunt, ut ferrum utrinque diſſultet, ipſæque incudes diſſiliant, ut Plinius & Solinus locis ſuprà allegatis prodiderunt. Sanè eandem Lucretius libro 2. agnoſcit:

Deniq; quæ nobis durata ac ſpiſſa videntur,
Hæc magis hamatis inter ſeſe eſſe neceſſe eſt,
Et quaſi ramoſis altè compacta teneri.
In quo jam genere inprimis adamantina ſaxa
Prima acie conſtant ictus contemnere ſueta.

Unde ſi quid infractum & inexpugnabile viſum, id adamantinum poëtæ appellaverunt. Virg. lib. 6. Æneid. columnas inferorum ex adamante fabricatas fingit:

Porta adverſa ingens, ſolidæque adamante columnæ,
Vis ut nulla virûm, non ipſi exſcindere ferro
Cælicolæ valeant.

innuens nimirum, ab inferis ad ſuperos egredi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

egredi ne ſuperorum quidem favore licere, ut Servius ethnicus ethnici poëtæ interpres exponit. Horatius lib. 1. Ode 6. Martem tegit tunica adamantina, id eſt, impenetrabili loricâ induit. Idem lib. 1. Ode 24. diræ neceſſitati adamantinos clavos attribuit, ſignificans, fatum eſſe immutabile. Ariadna Theſeo apud Ovidium epiſtolâ decimâ Heroidum exprobrat, quòd ſilices & adamanta tulerit, hoc eſt, pectus durum & crudele.

Ecquid verò nunc uſitati adamantes æquè ſunt duri atque illi veteres? Experientia non reſpondet. Etſi enim cæteras omnes gemmas duricie vincant, franguntur tamen, & in ſcobem rediguntur, ac proinde non tantùm fragiles, ſed etiam friabiles dicuntur Falloppio de foſſilibus cap. 6. Adamantes certè adamantibus poliri conſtat, idque fragilitatis & friabilitatis præclarum eſt indicium. Non eſſe infragiles, illi quoque experiuntur, qui adamantibus acuminatis literas vel imagines vitris incidunt. Uſu enim acumen obtunditur. Eſſe tamen certos duriciei gradus & differentias in adamantibus, à gemmariis eſt notatum.

Sequitur tertia proprietas, quòd igni ferroque indomabilis adamas hircino ſanguine recenti & calenti molliatur fragiliſque reddatur, quod ita Plinius eodem,

quem

quem ſuprà adduxi, loco expreſſit. *Id quod totis voluminibus his docere conati ſumus de diſcordia rerum concordiaque quam antipathiam & ſympathiam appellavêre Græci, non aliter clariùs intelligi poteſt. Siquidem illa invicta vis, duarum violentiſſimæ naturæ rerum ferri igniſque contemptrix, hircino rumpitur ſanguine.* Et paucis interpoſitis hanc ſubjungit exclamationem: *Cujus hoc ingenio inventum? quóve caſu repertum? aut quæ fuit conjectura experiendi rem immenſi ſecreti & in fœdiſſimo animalium?* Eundem Plinium vide proœmio in lib. 20. & Solinum cap. 55.

Si verum eſt, quod à tantis viris proditur, occulta effectus iſtius cauſa eſt, ſicut & Plinius cenſuit. Scaliger exerc. 344. diſtinctione octavâ ignorare ſe, quâ ratione id fiat, candidè fatetur. *Ajunt,* inquit, *hircinum ſanguinem in adamantem penetrare, propter analogiam, quæ eſt in principio communi. At verò quid aliud eſt principii communis analogia, quam proprietas occulta? Nam quare ſubit hircinus, & alius ſanguis tenuior reſtat excluſus? Et ſanè ab uno principio deducere adamantem atque illum ſanguinem, eſt hircum facere adamantem.* Et paulò pòſt. *Vnde igitur,* inquit, *illa efficacia?* Sermoneque ad Cardanum converſo, his verbis reſpondet: *Non tibi nunc diſſolvam debitum: ſed bonâ fide interea pignori tibi relinquam, ingenui candidique animi verbum hoc:*

NE-

NESCIO. Sunt qui leonino etiam ſanguine & plumbo adamantem molliri putent, ut narrat Cælius Rhodiginus Lect. antiq. lib. 10. cap. 50.

Cæterùm & hanc tertiam proprietatem fruſtra aliquis in hujus ſeculi adamantibus quæſiverit. Nam gemmarum politores polituram adamantis adamante exſequuntur citra hircini ſanguinis opem, ut non ſolùm egomet ex compluribus audivi, ſed etiam à Camerte in Solinum annotatum legi.

Quid igitur? Ergone noſtri adamantes genuini non ſunt, quòd igne vincuntur, quòd ferro franguntur, quòd fragilitatis conſequendæ ergò hircino ſanguine macerari non deſiderant? Ex Plinii profectò ſententiâ. Cùm enim Indico adamanti & Arabico proprietates illas attribuiſſet, tanquam præſtantiſſimis, Cyprium & ſideriten malleis frangi, aliiſque adamantibus perforari, breviterque ut degeneres nominis tantùm autoritatem habere ſubjungit. Fortaſſis etiam antiquitas adamantes ſibi finxit, quales nullibi gentium extiterunt.

Qui hoc ſeculo celebrantur, ex Orientali India advehuntur, de quibus Joh. Hugonem Linſcotanum ſuæ navigationis cap. 85. & 88. & Joh. Fragoſum hiſtoriâ brevi ſimplicium medicamentorum ex utraque India allatorum cap. 1. conſule.

Plinius

Plinius & Solinus locis præallegatis hoc quoque peculiare adamanti tribuunt, quòd inter eum & magnetem naturæ quædam ſit diſſenſio, adeò ut juxtà poſitus non ſinat magnetem rapere ferrum, vel ſi admotus magnes ferrum traxerit, quaſi prædam quandam quicquid magneti hæſerit, adamas rapiat atque auferat. Sed hoc Cardanus lib. 7. de ſubtilitate falſò adamanti attribui ait, eoſque temeritatis & ſocordiæ inſimulat, qui talia ſcribere audent, quæ nec probaverint ipſi, nec experiri, cùm facilè poſſent, voluerint. Contrà priſcorum & recentiorum autorum, qui id de iſta diſſenſione prodiderunt, fidem & autoritatem ab hoc probro vindicat Scaliger exercit. 112. ab adamante ferrum trahi ſe ſcire affirmans, Cardanum autem non bonum adamantem nactus, quo ejus rei faceret periculum. Alioqui præſentiã ſuâ magnetem reddidiſſe ignavum & ſtupidum.

Appendicis loco de adamantibus aliquid addam admirabile & propemodum incredibile, quod famâ & auditione acceptum narrat Franciſcus Ruejus de gemmis lib. 1. cap. 1. cujus verba ita ſonant. *Relatum*, inquit, *mihi jampridem eſt à domina quadam fide dignâ, quòd Domina Heverenſis è Luxemburgorum illuſtri genere oriunda, duos habeat ſervetque hæreditarios adamantes, qui alios*

alios crebrò, tanto naturæ miraculo, producant, ut eos quicunque ſtatis temporibus intueantur, συγγενῆ, id eſt, congenerem ſibi prolem eniti, palàm judicent. Cujus cauſam, ſiquidem in naturæ tam raro opere nobis philoſophari licebit, putaverim eſſe, quòd vis illa cæleſtis parentibus tenaciter inſinuata (quam adamantificam quis nominaverit) aërem circumfuſum in aquam primùm, congruamque ſubſtantiam, demùm in adamantem gemmam duraverit transformaveritque. Quod ne juſto plus admiretur quiſpiam, autor eſt Theophraſtus, eſſe lapides qui pariant: nimirum quòd virtus illa cæleſtis tenaci materiæ, uti præſtruximus, ſemel transfuſa ſubjectæ contumaciùs cohæret ſubſtantiæ: quæ videlicet, quò vehementiorem cæli actionem experta eſt, eò pertinaciùs hanc retinere intelligitur. Hæc ille.

I nunc incredule & dubita, Manucodiatam totâ vita, Chamæleontem aliquot menſibus non alio quàm aëris alimento veſci & ſeſe ſuſtentare.

Franciſcus Patritius Peripateticarum diſcuſſionum tomi 1. lib. 3. in ipſo calce aërem, cujus hauſtu Chamæleon & Manucodiata vitam tolerant, condenſari, ſive, ut ipſe loquitur, corporeſcere, atque ſic ad nutriendum habilem reddi exiſtimat. Quod minùs mirum eſt, quàm ex duobus adamantibus ceu ſexu diſtinctis alios ejudem generis, aëre

primùm

primùm in aquam, deinde hac in congruam adamanti ſubſtantiam converſa naſci.

Communis generatio Indicorum adamantum, quorum inter cæteras ejus regionis gemmas dignitas prima, propter inſignem eorum fœcunditatem admirabilis eſt. Nam, ut Fragoſi verbis utar, qui multis annis naſci & perfici debebant, duorum aut trium annorum ſpacio perficiuntur. Ergo ſi in fodina aliqua adamantifera hoc anno ad cubiti altitudinem fodias, adamantes reperies. Poſt biennium fodinam repete, & iterum reperies adamantes. Idem traditur à Johanne Hugone navigationis ſuæ cap. 85, niſi quòd is pro cubiti altitudine, viri poſuit longitudinem, & inſuper annorum numerum uno auxit.

Natura ſic elaboratos inveniri, iidem autores tëſtantur, ut artificiali politura non indigeant, iique apud Indos in ſummo ſunt pretio.

Hæc profectò oſtendunt, adamantes raro quodam & propè miraculoſo modo provenire.

Scriptores rerum Indicarum ſcribunt, adamantes progenerari in monte Abingar ultra urbem Biſnegat, itinere dierum quindecim. Circundari montem paludibus venenoſarum beſtiarum pleniſſimis. Montem ipſum non minùs ſerpentibus diſſertum. In eum montem accolas ex e-

ditiore

ditiore loco ſagittis carnes jaculari: quibus carnibus hæreant adamantes. Carnes illas ab aquilis, ſublatas in nidos, devorari; ſub quibus delapſos adamantes inveniri. Hiſtoriam hanc de adamantum venatione recitat Scaliger exerc. 113. & Græcæ fidei propiorem judicat.

Sed nimius in hujus ænigmatis, ſive ſolutione, ſive explicatione fui. Itaque quoniam ad id, quod novum eſt, quodammodo recentes ſumus, ipſa varietas ſtudii refectrix aurem mihi pervellit, monetque ut de novo ænigmate exhibendo cogitem. Excogitatum id jam eſt, primamque in libro tertio ſedem ſibi vendicabit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

LIBRI TERTII
ÆNIGMA PRIMUM.

Os habeo & vivo, non eſca per oris hiatum
It tamen, aut potus ſumitur ore mihi.
Et nares habeo, nec iis tamen aëra duco.
Verùm aliis intrant victus & aura viis.

SOLUTIO.

COnceptus in utero & nondum in lucem editus infans (quem vulgò è Græco embryonem vocant) vivit, & os nareſq; habet, nec tamen ore ad ſumendum cibum & potum, nec naribus ad reſpirandum utitur. Atqui nec ſine alimento, nec ſine ſpiratione homo vivere poteſt. Quapropter ignarus aliquis talium rerum, ſciendi tamen avidus, ſciſcitetur, per quas igitur vias embryo alimentum & ſpiritum ducat? Per umbilicum id fieri reſpondeo. Quod ut clariùs innoteſcat, paulò altiùs res è medicorum monumentis repetenda eſt. Sic igitur ſeſe habet.

Deli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Delineatæ in utero ex ſemine parentum embryonis partes ſine alimento vivere & incrementum capere nequeunt. Quoniam verò infanti, uteri clauſtris adhuc ſepto, per os alimentum nequit præberi, opifex rerum pro alimento ſanguinem maternum ei deſtinavit, quem fœminæ, uterum non ferentes, tanquam ſuperfluum ſingulis menſibus deponunt, niſi aut impuberes anni aut effœti prohibeant. Poſteaquam verò fœcundæ adhuc conceperunt, ſanguinem illum retinent tanquam fœtui nutriendò convenientem, atque hanc ob cauſam gravidæ à menſtruorum fluxu ſnnt liberæ, paucis exceptis, quibus etiam prægnantibus fluunt, quòd ſanguine adeò abundent, ut non ſolùm fœtus inde accipiat, quantum in nutrimentum ejus ſatis eſt, verùm etiam ſuperſit, quod naturæ ſit grave & moleſtum. Aliis ſi menſtrua geſtationis tempore prorumpant, periclitatur fœtus, abortumque minatur, qui opportunis auxiliis præveniendus eſt.

At verò ſanguine illo materno fœtus hoc modo potitur. Enaſcuntur à venarum acetabulis (intellige extremitates ſive capita venarum à venis ſeminalibus in uterum pertinentium) in utero exiguæ quædam venæ. Eæ omnes in unam magnam venam coëunt, quæ longo ductu per umbilicum

bilicum (unde vena umbilicalis dicitur) in infantis ventrem ſeſe inſinuat, moxque ſurſum fertur & hepati implantatur, eique, ceu ſanguinis futuræ officinæ, ſanguinem apportat, quo fœtus in uteri latebris nutriatur.

Nec diſſimilis eſt ſpiritus attrahendi ratio. In uterum enim arteriæ ab arteriis ſeminalibus ortæ ducuntur, ex quarum acetabulis, ſicut & de venis antea dixi, multæ parvæ arteriæ oriuntur, eæque in duos ramos grandiuſculos coaleſcunt, qui itidem, poſtquam longo tractu ad umbilicum pervenerunt, in ventrem infantis penetrant, & mox pubis os verſus deſcendunt, ibique arteriæ magnæ inſeruntur. Vocantur hæ arteriæ umbilicales, per eaſque tum ſpiritus, tum calor vitalis fœtui à matre impertitur.

Sciendum autem, venam arteriaſque jam dictas ſtatim ab exortu citra confuſionem conjungi, conſtituereque unum quoddam oblongum corpus, quod funem vulgo vocant, germanicè die ſchnur. Is funis filo conſtringi præcidique ſolet, infante modò ex utero veluti carcere liberato, atque in hanc lucem emiſſo, & poſtea cum ſecundarum reliquiis, quibus cohæret, ſi partus ſecundus eſt, ejicitur.

Scio objici mihi poſſe Hippocratis autoritatem, qui in libro de principiis vult; infantem, antequam ad puerperium per-

ducatur, contractis labris ex utero matris ſugere, & tum alimentum, tum ſpiritum cordi attrahere matre reſpirante.

Veruntamen falſam eſſe hanc opinionem, per multa colligi poteſt. Primùm enim, quid alimenti loco infans attrahet? Num cibum? num potum? num chylum in matris ventriculo præparatum? At nihil horum in uterum pervenit, neque viæ ullæ ſunt, per quas pervenire queat. Nec rationi conſentaneum eſt, ab embryone ſanguinem maternum in alimentum ore trahi, ventriculoque excipi & digeri; quia ſuccus ille, qui jam ſanguis eſt, ventriculi concoctione haud amplius indiget, quippe quam jam pridem in ventriculo matris ſuſtinuit. Neque quiſquam anatomicorum in ventriculis infantium ferro patefactorum ſanguinem unquam deprehendit. Adhæc, ſi ore embryo ſanguinem traheret, apparerent in utero tubercula quædam papillas repræſentantia, quæ labellis apprehenſa veluti emulgeret. Verum nihil tale in utero apparet. Omitto, quòd inter uterum & infantem involucra interjecta ſunt, quibus ab ejus contactu infans arcetur. Poſtremò, ſi ventriculo infans ſanguinem per os aſſumptum exciperet conficeretque, per alvum etiam fæces primæ concoctionis redderet. At per eum meatum in utero nihil eum red-

dere,

dere, exploratiſſimum eſt. Ex quibus omnibus efficitur, embryonem nec cibo, nec potu, nec chylo, nec ſanguine per ſuum ipſiuſmet os acceptis, & in ventriculum ſuum demiſſis nutriri, ſed ſanguine potius per venam umbilicalem à matre tranſmiſſo.

Contra hæc Hippocrates ſententiam ſuam ſic tuetur. *Si quis interroget, quomodo hoc quis ſciat, quòd puer in utero trahat & ſugat; illi ſic reſpondendum eſt. Pueri naſcuntur ſtercus in inteſtinis habentes: quamprimum nati fuerint, tum homines tum pecora ſtatim ventrem exonerant. Atqui non haberent ſtercus, niſi in utero ſuxiſſent. Imò neque mammam ſtatim ac natum eſt animal, ſugere noſſet, ſi non in utero ſuxiſſet.*

Ad prius reſpondeo, negari non poſſe, quin in recèns natorum infantium inteſtinis atra quædam & picei coloris materia reperiatur; verum illa excrementum eſt non cibi, aut alimenti cujuslibet in ventriculo confecti, ſed ſanguinis in venis contenti, argumento, quòd non fœtet more aliorum excrementorum. His interdum miſcentur illæ ſordes uteri, quas infantes, præſertim ſi in enixu diu hæreant, ore vel inviti deglutiunt. Quòd ſi etiam nigra illa materia verum primæ concoctionis purgamentum eſſet, in utero quoque excerneretur, & circa fœtum collectum reperiretur. At non reperitur. Et quid quæſo ſordibus illis fœtui, ſi circa eum coacervarentur, moleſtius aut ad vitam incommodius?

Poſterius argumentum, quod à prompto infantis modò nati ſuctu Hippocrates ſumpſit, multiplici inſtantiâ refutatur. Poſtquam enim in lucem infans emerſit, mox videt, audit, manibus prenſat: cavetque, quantum poteſt, ne in primo lavacro ſubmergatur, quorum nihil in utero fecit. Ubi obſecrò pulli anatini & anſerini natare, gallinacei incedere, ſcalpturire & eſcam roſtris legere didicerunt? Quis Martialis porcellum, quem mater ex vulnere pepererat, currere docuit? De quo epigramma 14 in Amphitheatrum Cæſaris:

Sus fera jam gravior maturi pignora ventris
Emiſit fœtum, vulnere facta parens.
Nec jacuit partus, ſed matre cadente cucurrit.
O quantum eſt ſubitis caſibus ingenium!

Naturæ hæc munera ſunt, imò potiùs ipſiuſmet Dei naturæ conditoris & gubernatoris.

Neque infantem in utero ſpiritum per nares ducere magis veri ſimile eſt. Siquidem viæ nullæ ſunt, per quas aër ad nares infantis perveniat. Præterea, ſi ducitur ſpiritus, redditur etiam, duci autem & reddi ſine motu thoracis nequit. Quòd ſi moveretur intus thoracis nequit. Quòd ſi moveretur infantis thorax, ſentiret mater. Non ſentit autem: ergo nec movetur thorax infantis, nec infans reſpirat. Rectiùs autem hac de re Hippocrates in libro de Octimeſtri pronunciat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

nunciat. *Præterea*, inquiens, *umbilicus, per quem alimenti & aëris ingreſſus pueris contingit, ſolus ex omni corpore utero adhæret, & hac viâ puer ingredientium particeps ſit, reliquis partibus conniventibus, nec priùs apertis, quàm exitum ex ventre moliatur. At ubi in exitu fuerit, tunc reliquæ partes omnes aperiuntur, umbilicus ſolus attenuatur, & connivet, & reſiccatur. Quemadmodum enim in his, quæ ex terra naſcuntur, fructus maturitatem ſuam adepti ſecernuntur ac decidunt, quâ parte connati erant: ſic etiam pueris maturis ac perfectis, umbilicus quidem obturatur, reliqua verò aperiuntur, ut & ingredientia ſuſcipiant, & exitus habeant ſecundùm naturam, quibus neceſſe eſt viventes uti.* Verùm de hoc ſatis. Videamus quod ſequitur.

ÆNIGMA II.

Erige ſic ovum patulæ ſuper æquore menſæ,
Vt nullius egens ſtet (neque nutet) opis.

SOLUTIO.

CHriſtophorus Columbus Genuenſis, poſtquam auxilio & impenſis Ferdinandi Caſtellæ regis navigatione in Occidentem factâ, terras tunc in noſtro orbe ignotas detexiſſet, atque inde ſumma cum gloria reverſus eſſet, multorum invidiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

in ſe concitavit, præſertim autem aulicorum. Inter quos alii, non ipſius induſtriâ terras illas inventas eſſe, aſſerebant; alii contendebant, etiamſi ab ipſo repertæ non eſſent, non defuiſſe tamen tum temporis homines Coſmographiæ peritos, qui idem tentare parique ſucceſſu effecturi fuiſſent. Id cum aliquando in celebri convivio, cui multi nobiles intererant, fieret; Columbus nihil reſpondit, ſed ovum in convivium afferri juſſit, eoque menſæ impoſito, Agitedum, inquit, domini mei, cum quolibet veſtrûm, depoſito in cœnam pignore, certo, neminem eorum, qui hîc ſunt, facturum ovo iſto, quod ego facturus, nempe ut nullo nixum adminiculo, ſtans & erectum ſuopte nutu maneat. Experti ſunt omnes, neque ulli eorum ſucceſſit: ſed quum circumacto orbe ad Columbi manus perveniſſet, ipſe ovum, altero ejus faſtigio menſæ illiſo ac leniter quaſſato, rectum firmumque conſtituit. Ea res omnium vultus pudore ſuffudit; quippe quibus patebat, quid tacitis illis ambagibus Columbus ſibi vellet. Nimirum, quod primus ipſe tentaſſet, jam apertum omnibus & factu facile eſſe: debuiſſe ipſos potiùs primos Indiæ quærendæ viam rationemque iniiſſe: nec ſe ridere, qui id experiri auſus eſſet, ſicuti antè id cœptanti mirabundi illuſiſſent, quaſi rem impoſſibilem aggre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

aggrederetur. Vide Benzonem in hiſtoria novi orbis lib. 1. cap. 5.

ÆNIGMA III.

Occultè è patria fugio per ſtricta viarum,
Et repeto hanc laxis conſpicuiſque viis.

SOLUTIO.

PAtria eſt mare. Ex eo prodeunt & ſcaturiunt fontes, ſed per vias anguſtas & occultas. Ex fontibus porrò fiunt rivi, & ex rivis flumina, eaque quò longiùs ſuper terra fluunt, eò alveos habent laxiores, magiſque conſpicuos; donec patentiſſimis oſtiis in mare ſeſe exonerent, atque ſic aqua in priſtinas ſedes quaſi poſtliminiò redeat. De quo Eccleſiaſtes cap. 1. verſ. 7. *Omnia*, inquit, *flumina intrant in mare, & mare non redundat. Nam ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.*

Hic verò ſcrupuloſa quæſtio ſeſe offert, quomodo aqua è mari in tantam altitudinem poſſit aſſurgere, quantam videmus. Siquidem in loca editiſſima attollitur ibique ſcaturit. Naturâ enim ſuâ aqua non aſcendit, quippe quæ corpus eſt grave.

Julius Cæſar Scaliger, exercit. 46. ad Cardanum, novâ quadam ratione demonſtrare nititur, cur aqua ad ſuas ſcaturigines in altum feratur. Quod ut meliùs conficiat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

falſam hypotheſin ponit: mare ſcilicet ipſis fontium ſcatebris altius eſſe. Quam hypotheſin hoc modo conatur demonſtrare: Terram, ait, occupaviſſe magnam partem regionis aquæ, nimirum omnem illam portionem, quæ à Deo extra aquas producta eſt in hunc finem, ut homines & alia ſicco gaudentia animalia commodè in illa degere poſſent. Aquam igitur in quaſdam quaſi anguſtias redactam altiùs attolli, & viciſſim quandam aëris partem occupare, in qua ſit extra ſuum naturalem locum. Jam verò terræ illam partem, quæ aquæ locum obtinet, multis ſpecubus & meatibus eſſe perviam. Atque ita aquam in alieno loco eoque altiore exiſtentem, & tanquam jure ſedes ſuas repetentem, ſuo pondere aquam inferiorem premere: quæ compreſſa, cùm anguſtioribus terræ alveis continere nequeat, in terræ ſuperficie erumpat. Ab hujuſmodi igitur compreſſione fieri aquarum exitus & exſilitiones, quæ Græcâ origine ſcatebræ appellantur.

Hanc ſuam opinionem ſimilitudine illuſtrat, quæ talis eſt: Sit vas aqua plenum uniforme, quod utrinque habeat tubulos in imo intus apertos, atque ipſo etiam vaſe altiores. In vas lapis internæ ſuperficiei undique æqualis demittatur, ita ut nullum pateat aquæ effugium; tunc aqua, quæ eſt in vaſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

hoc modo preſſa, ſubſiliet per tubulos ipſo vaſe altiores.

Quantumlibet autem hic aquæductus ingenioſè à Scaligero videatur excogitatus, & admodum plauſibili ſpecie legentibus ſeſe offerat: non deſunt tamen, quæ in eo deſiderari poſſint, è quibus duo iſta ſunt præcipua. Unum eſt: Etiamſi terra ſingulari & ſalutari Dei conſilio extra aquas promineat: non ſequitur tamen inde, partem illam aquæ, quæ terræ ceſſit, è ſuo naturali loco in aëris locum eſſe propulſam. Nam ſicut aqua terræ ceſſit, ita viciſſim eſt veriſimile & terram aquæ ceſſiſſe, ut ita ſe mutuis hoſpitiis exciperent & foverent. Quod ſic expreſſit Buchananus lib. 1. Sphæræ:

Sic levis unda gravem premeret ſub gurgite terram
Perpetuò, niſi cura Dei ſe attollere montes
Juſſiſſet, valleſque premi, terramque cavernis
Hiſcere, & ingentes humori aperire lacunas.

Et paucis interpoſitis:

Sed tellus corpus in unum
Cum liquidis coit una undis, ceduntq; viciſſim,
Amplexuque fovent ſeſe, alterniſque fruuntur
Hoſpitiis, mixtæq; unum coguntur in orbem.

Itaque aqua extra naturalem ſuum locum non eſt, quo ad aërem, ſed quo ad terram. Siquidem quædam terræ pars ſupra aquam aſcendit; & viciſſim quædam aquæ pars ſub

terram deſcendit. Unde ſunt vaſtæ illæ voragines aquarum & abyſſi in terra, qui Platonicus Tartarus poteſt cenſeri; idque adeò verum eſt, ut aëris potiùs aliqua portio ex proprio loco in aquæ regionem ſe demiſerit, tanta ſcilicet, quantæ ſunt montium moles in aërem uſque aſſurgentes.

Alterum, quod in Scaligeri ratione deſiderari poteſt, hoc eſt. Si compreſſio illa aquæ, quæ fit ab exterius incumbente mari, exiſtente in alieno atque altiore loco, cauſa eſſet exſilitionis aquarum è ſuis ſcatebris; ſanè tam diuturno ac continuo tot fontium & fluviorum fluxu aqua jam ad æqualitatem perveniſſet, neque flueret amplius, ſed quieſceret. Ea enim aquæ natura eſt, ut æqualem ſuperficiem ſemper affectet. Quare ſi rimam duxerit vel aliter pertuſa ſit navis, aqua in eam aſcendere non deſinet, donec tam alta ſit, quàm eſt fluminis vel maris aqua.

Id hujuſmodi exemplo planum fiet. Sint duo vaſa in fundo communi aliquo canali pervia, quorum alterum repleatur aquâ uſque ad ſummum, alterum verò ad medium. Hic aqua illa, quæ in vaſe ad ſummum repleto eſt, quoniam altior eſt illâ, quæ altero vaſe continetur, per communem illum canalem indeſinenter fluet, nec conquieſcet, priuſquam parem in utroque vaſe altitudinem aſſequatur. Idem etiam in mari, ſi extra

ſuum locum in aëris loco eſſet, fieret. Flueret enim ac deſcenderet aqua marina, quæ altior eſt, eatenus, donec cum inferiore interim aſcendente velut ad quoddam æquilibrium redigeretur.

Simile, quod affert Scaliger, tum demum locum habebit, ubi demonſtraverit, eandem eſſe rationem aquæ ad aquam, quæ eſt lapidis, corporis ſolidiſſimi, ad aquam, quæ eſt corpus liquidum. Imò ubi probaverit, aquæ illam partem, quæ ſuo loco ceſſit, regionem aëris occupaſſe; cujus contrarium nos modò evicimus.

Tandem igitur eò nobis erit confugiendum, ut dando gloriam Deo profiteamur ingenuè, naturalis hujus rei cauſas nos latere, dicamuſque, illum, qui tam mirabiles in cœleſti machina motus gubernat, hujus aquæ in mare fluxus atque inde refluxus autorem eſſe, eumque tam ſapientem, ut artificium illius ac induſtria humani intellectus modum longè excedat.

ÆNIGMA IV.

Magna mihi moles naſcenti, magna cadenti,
In medio curſus eſſe ſolet minima.

SOLUTIO.

UMbra, quam opacitas corporum in terræ ſuperficie Soli objectorum efficit, ſemperque in adverſam partem jactat, eſt illud ipſum, cui præſens convenit ænigma. Siquidem, cùm vel Sol oritur, vel fit occiduus, montium, turrium, arborum, hominum, & ſimilium corporum umbras longiſſimè excurrere, meridie autem arctiſſimè contrahi, luce meridianâ clarius eſt. Unde Buchananus lib. 3. Sphæræ de ſole in meridie conſtituto ait:

Quum medius rerũ minimas ſol efficit umbras.

Et Virgilius eclo. 1. ſerum diei, quo ſol in occaſum vergebat, per longiores umbras deſcripſit. Sic enim ſub perſona Tityri Melibœum affatur:

Hîc tamen hâc poteris mecum requieſcere nocte.

Et paulò poſt:

Et jam ſumma procul villarũ culmina fumant.
Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

Dixi, umbram meridie arctiſſimè contrahi, hoc eſt, eſſe breviſſimam, & per conſequens, aliquam, non omnino nullam. An verò alicubi meridies umbræ eſt expers? Sanè, ſi fides ſcriptoribus eſt habenda, qui, Plinio lib. 2. natur. hiſtor. cap. 73. teſte, tradunt in Syene oppido, quod eſt ſupra Alexandriam, quinque millibus ſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

diorum ſub ipſo Cancri Tropico ſitum, ſolſtitii die medio nullam umbram jaci, puteumque, ejus experimenti gratiâ factum, totum illuminari: de quo Lucan. lib. 2.

Atque umbras nuſquam flectente Syene.

Idem de Syene ſcribit Macrob. libr. 2. in ſomn. Scipion. c. 7. ibique verſum Lucani citat & examinat. Atque hos imitatus Buchan. lib. 3. Sphæræ

Syenitas calidi ſub ſidere cancri

locat: & alibi de iisdem ſic ait, eodem libro,

Nulla Syenitas cùm protegit umbra colonos:

Sed hæc cenſuram merentur. Non enim ſub ipſum diei medium apud Syenitas nulla eſt umbra, ſed potiùs perpendicularis, id eſt, de corpore opaco rectà deorſum miſſa. Itaque ſi corpus opacum parte ſui ſuperiore ſit alicujus latitudinis, ut ramoſa arbor; ſub arbore illâ, alióve ſimili corpore ſine dubio erit umbra. Sin è latâ baſi in anguſtum aſſurgat & attenuetur conum, vel cylindri habeat figuram, ut gnomon erectus, undique colluſtrabitur, umbraque vacabit.

De puteo quod proditum eſt, fide non caret: nec tamen ex eo rectè concluditur, nullam tunc ſpargi umbram. Nam ſi ſuper orificio putei tranſverſim pertica vel tignum ponatur, ejus umbram in lateribus & fundo putei apparere neceſſe eſt, quicquid alii ſcribant, aut ſentiant.

Quod

Quod autem Syenitis aliisque, quibus Cancri aut Capricorni Tropicus (utriusque enim ad hanc rem par ratio) per verticem transit, ſemel quotannis contingit, id ſpatio intermedio degentibus contingit bis. Neque hoc Plinium fefellit. Nam capite ſuprà citato hoc idem, quod in Syene oppido, in Berenice urbe Troglodytarum, & in eadem gente oppido Ptolemaïde, ante ſolſtitium quadragenis quinis diebus, totidemque pòſt fieri ait. Et rurſus in Meroë inſula quinque millibus ſtadiorum à Syene diſtante, bis anno abſumi umbras, Sole duodeviceſimam Tauri partem & quartamdecimam Leonis obtinente. Oneſicritum etiam ſcripſiſſe, in quibusdam locis Indiæ umbras non eſſe, & ea loca appellari Aſcia. Sed veriùs hisce Sol quotannis bis in ipſo invenitur vertice, jacitque umbram perpendicularem in meridie, non prorſus nullam.

Sed ſatis ſuperque in umbra verſati ſumus, nunc aliud ænigma in lucem producamus.

ÆNIG-

ÆNIGMA V. JOCOSUM.

Davus & OEdipus colloquuntur.

OED. *Nuper ab Heſperia miſſa eſt gallina cohorte,*
Vno plus quàm ſex quæ parit ova die.
DAV. Ováne vera putas? OED. *Duplici puto plena liquore,*
Albenti & croceo, cortice ſub niveo.
DAV. Vah nimiùm mihi mira refers? OED. *referam mage mira:*
Beſtia ſupra omnẽ ſed vorat iſta modũ,
Dimidio modio nam plus abſumit avenæ,
Ingluviem quoties vult ſatiare ſuam.
DAV. Sit procul à noſtra talis gallina cohorte.
Ova ego non opto tam precioſa mihi.
OED. *Multa mihi talis contrà gallina ſit, opto,*
Oraque mî pariat tam precioſa diu.

SOLUTIO.

VUlgarem gallinam intellige; quam, ut difficilior ſit divinatio, reſque ludicra plus admirationis habeat, ex occidentali aliquâ regione miſſam fingo. Poteſt etiam Indica gallina intelligi, ex Hiſpania ad nos advecta. Gallinam ejuſmodi dico plus pàrere, uno die, quàm ſex ova. Siquidem ſex ova nihil pariunt, cùm gallina quotidie per certum anni tempus unum ovum pàrere poſſit. Secundò, gallina plus avenæ abſumit dimidio modio. Siquidem devorare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

& abſumere poteſt unum atque alterum manipulum. At dimidius modius nihil abſumit. Gryphus latet in ambigua conſtructione.

ÆNIGMA VI.

Herbarum metuenda lues & amara colonis,
Mille trahens varios rugosâ pelle colores,
Eſt eruca mihi, cùm ſe novat annus, origo:
Quæ multo pede nixa licet, veſtigia figit
Tarda tamen, repitque fames quò ducit edacem.
Aſt ego non repo, ſed pictis degener alis
Alta peto, ſudasque ſeco perniciter auras;
Vndeque ſum natus, generi nova ſemina reddo.
ipſe meæ matris, lector, tibi nomina dixi:
Tu rurſus mihi dic, natus quo nomine dicar.

SOLUTIO.

Extat apud Ovidium libro 15. Metamorph. fab. 31.

Quæque ſolent canis frondes intexere ſylvis
Agreſtes tineæ (res obſervata colonis)
Ferali mutant cum papilione figuram.

Quibus verſibus tametſi veteres interpretes à poëta bombyces deſcribi putent; tamen quicquid in iis dicitur, in erucas melius quadrat. Hæ enim frondibus telas ſuas intexunt, in agro & hortis vivunt; tinearum inſtar herbas & folia rodunt, cum papilione, eoque ferali & noxio, quotannis figuram mutant; idque ab agricolis & olitoribus ſæpenu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ſæpenumero obſervatum, nec non ab Ariſtotele lib. 5. de hiſtor. animal. c. 19. annotatum. Ego erucam, quæ ſponte ſuperiore autumno parieti mei muſeï ſeſe affixit, paulatimque in papilionem degenerat, dum hæc commentor, in conſpectu habeo. Nec me latet, bombyces quoque in papiliones transformari, ſed non ferales aut pernicioſos; ut videre eſt apud Plinium libro 11. cap. 22. & Hieronymum Vidam lib. 2. bombycum.

Zonaras tom. 3. ſuæ hiſtoriæ in vita Juſtiniani Imperatoris ait, Juſtiniani temporibus telam ſericam à Romanis texi cœpiſſe, quæ priùs à Perſicis mercatoribus tantùm afferebatur, cùm ignorarent, quomodo fieret, neque ſcirent fila eſſe vermium. Cæterùm duos monachos ex India Byzantium profectos, originem illius declaraſſe, pollicitoſque, ſe fœtum illorum vermium, ova nimirum perexigua, allaturos; & oſtenſuros Romanis, quemadmodum illa fovendo animata, in vermes mutentur, qui ſericum texant magiſtrâ naturâ uſi. Eos monachos Juſtinianum in præſentia muneribus, de cætero magnis pollicitationibus ad illud præſtandum confirmaviſſe. Itaque Serum ova eos Byzantium attuliſſe, & in fimo collocata in vermes transformaſſe, indeque ſericum confeciſſe. Ex eo igitur Romanos cognoviſſe, quomodo ſericum conficiatur. Meminit

minit & Procopius lib. 1. belli Perſici; aitque, ab Indis Perſas, à Perſis Æthiopes, & ab his Romanos ſericum emiſſe.

Galeni temporibus adhuc rarum, magnarumque urbium incolis, iisque opulentioribus duntaxat, in uſu fuit; ut videre eſt in fine libri 13. methodi medendi.

Quæ ſi fidem, uti par eſt, merentur, utique à colonis Ovidii ætate bombycum τριμόρφωσιν obſervatam fuiſſe, haud credibile eſt. Facilè autem obſervare potuerunt, erucas hortorum & agrorum peſtes quotannis in papiliones mutari, quoniam tum temporis quoque nocendo notas ſeſe fecerant. Itaque παρένθεσις illa (res obſervata colonis) ad meæ ſententiæ confirmationem aliquid habet momenti. Vide & Polydor. Virg. lib. 3. de invent. rerum cap. 6.

ÆNIGMA VII.

Dic, ubi ſponte ſuâ, non vi commota trahentis
Pellentisve, gravis fertur in alta latex?

SOLUTIO.

IN tonſtrinis in uſu ſunt vitra ventris ampli, orificii autem tam ſtricti, ut per ejus anguſtias liquorem ſupernè infuſum non recipiant; multò minùs inverſa & in liquorum demerſa ſubingredi ſinant, obſtante inſuper aëre, qui vitra pridem occupavit. Siquidem

aër

aër vitris illis incluſus aquæ ingreſſum prohibet, quandiu ipſimet egreſſus denegatur, quod in tantis anguſtiis fieri neceſſe eſt. De illis loquor vitris, quibus tonſores conſpergunt vertices eorum, quibus capillos detonderunt. Ea igitur liquore aliquo, qui odoratus eſſe ſolet (ut aqua lavandulæ, majoranæ, ſalviæ & ſimilium) repleturi, talem excogitaverunt technam.

Vitri orificium labris apprehendunt, aëremque ſugendo eliciunt, vitrumque ſic evacuant. Evacuatum actutum roſtro inverſo in liquorem, quem volunt, immergunt, ventre tamen extra aquam relicto. Tum liquor ſenſim, nullo trahente aut pellente, in vitri ventrem aſcendit, contra aquæ naturam; quippe cujus proprium eſt propter gravitatem deſcendere potiùs quàm aſcendere.

Quæritur quid cauſæ? In vitri, inquis, vacuitate, omnis ejus rei cauſa eſt. Vacuum enim natura non admittit. Audio quid dicas; ſed nondum video, utrùm aqua ultrò aſcendat, ut vacuum impleat; an verò trahatur. Neutrum ſanè concedendnm videtur. Non prius: Aſcendere enim ultrò, aquæ ponderi è diametro adverſatur. Nec poſterius: Nam eâ ratione vacuum contra Phyſicorum ſententiam omnino ſtatueretur. Quod enim trahit, eſſe neceſſe eſt. Non entis enim nulla eſt actio.

Mea

Mea de vacuo ſententia hæc eſt; dari id quidem in rerum naturâ, ſed tamen naturam ipſum non diu ferre, imò adeò averſari, ut quamprimùm aliquo corpore quacunque ratione replere conetur, quod evacuatum eſt. Quòd autem detur vacuum, pro exemplo ſit illud ipſum, quod è tonſtrinis deſumpſi. Vitrum aëre plenum ſugendo evacuatur. Ut denuò impleatur vacuumque eſſe deſinat, aqua in vitrum aſcendit, incaſſum reluctante ejus propriâ gravitate & naturâ. Quid aliud ex his in fertur, quàm vitrum vacuum antè fuiſſe?

Non ferre autem naturam vacuum dicunt, ne in mundo exiſtat partium divulſio, quarum unionem & continuitatem natura amat: cujus argumentum eſt rotunditas, quam partes undique coëuntes efficiunt, ut mutuò ſeſe contingant. Addunt & hoc, ne imperfectio quædam in mundum cadat; quod fieret, ſi ſpacium, quod priùs à corpore occupatum erat, relinqueretur inane.

Atqui hæc aſſertio finalem potiùs cauſam, quàm efficientem, reſpicit; quam utique vel internam vel externam eſſe oportet. Valleſius reſpondet, finem ad motum ciendum ſine cauſa efficiente haudquaquam ſufficere: nec illius motus, quo aqua, vacui explendi gratiâ, ſurſum fertur, cauſam externam eſſe, ſed internam potiùs, hoc eſt, ipſam-

ipſammet rei naturam ſive formam; quippe cùm omnibus rebus inſitum ſit, unionem univerſi & ſe tueri; ut videre eſt lib. 1. controverſ. medicarum & philoſophic. cap. 2. & lib. 7. cap. 3.

Cardanus lib. 1. de ſubtilitate motum aquæ, cùm vacui explendi gratiâ ſuperiora petit, naturalem eſſe docet. *Primus*, inquit, *& validiſſimus* (motus) *eſt à vacui fuga, ſed veriùs à forma elementi, cùm majorem raritatem non admittat, nec materiæ partes ſeparari unquam queant. Cùm igitur in follibus apertio major fit, quàm paucus ille aër ferre poſſit, primùm rarior redditus, cùm materia prima ſeparationem non admittat, aër ille non ſuſtinens majorem raritatem, aut aliquid ad ſe trahit, aut follem diſrumpit. Non igitur à vacuo motus ullus, ſed à formis ipſis maximè aëris, dum ampliùs divelli nequit, nec ſeparari, fieri conſuevit. Eſſe autem motum hunc naturalem, oſtendit conſenſus in hoc univerſi & obedientia omnium corporum, quæ relictis propriis motibus, ut huic ſatisfaciant, aſcendunt ſponte gravia, deſcenduntque levia.* Hactenus ille.

Verùm utut hoc ſeſe habeat, aſcenſus aquæ à natura eſſe nequit. Natura enim ſemper ſtatum & certum aliquem motum reſpicit, facitque ut perpetuò gravia deorſum, levia verò ſurſum ferantur, ſi nihil ea prohibeat. Sin contrà moventur, is motus vio-

violentus eſt, & ab externa aliqua cauſa profectus. Unde efficitur, formam aquæ non eſſe id, quod facit, ut vacui abolendi gratiâ aqua aſcendat; ſicut Valleſio placuit. Siquidem forma aquæ, ex Ariſtotelis ſententia, ejus eſt natura; & motus, qui à forma exiſtit, eſt naturalis. At aquæ aſcenſus non naturalis, ſed violentus eſt.

Cardanum redarguimus motus naturalis definitione. Naturalis enim motus is eſt, qui fit à natura. Natura autem internum eſt motus principium. At Cardanus, cùm aqua vel ſimile quid vacui explendi causâ aſcendit, trahi id putat ab aëre, ſuprà quàm natura ejus ferat, rarefacto. Sic principium ejus motus in aëre conſtituit, non in aqua. Proinde motus ille non poteſt non eſſe violentus. Ad hæc, quid aliud indicat ſeparatio partium aëris, quàm aërem illum non ſufficere ad locum illum explendum, in quo eſt, ideoque vacuum eſſe, quod tamen Ariſtoteles negat, neque Cardanus eodem libro paulò antè conceſſit. Quòd ſi forma aëris traheret, magis traheret unito aëre quàm divulſo. Virtus enim unita fortior eſt ſeipsâ divisâ.

In quæſtione igitur adhuc verſatur, quæ efficiens cauſa aquam ſurſum ad vacuum replendum moveat, ſi nec à formâ ſuâ movetur, nec ab aëris formâ, aut à vacuo trahitur; de qua re in hoc ipſo libro integra mihi erit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

erit diſputatio. Nunc ſatis ſit, experimento oſtendiſſe, vacuum in rerum natura quandoque dari.

ÆNIGMA VIII.

Dic, quando pariter Phœbus, germanaq; Phœbi,
Obſcurâ induerint nitidos ferrugine vultus,
Replerintque omnem tenebris nigrantibus orbem?

SOLUTIO.

ID factum eſt, cùm Sol, moriente Chriſto crucifixo, miraculosè deficeret: quod ſic oſtendo. Poſtridie crucifixus eſt Chriſtus, quàm agnum paſchalem cum diſcipulis comediſſet. Atqui Deus agnum paſchalem mactari & comedi præceperat die 14 Lunæ primi menſis, ut videre eſt Exodi 12. ỳ. 6. Initio itaque numerationis facto ab ipſo novilunio, decimaquintâ die Luna plena fuit, cùm tempus lunationis integræ ſit ferè 28 dierum. Non potuit igitur tunc Sol juxta naturæ ordinem, hoc eſt, Lunâ ipſum ſubeunte radiosque ejus intercipiente, deficere; quippe à quo Luna eo tempore tota diſtabat diametro; adeò, ut Sol ſupra horizontem, ipſa infra horizontem eſſet. Atque ſic miraculosè obſcuratus fuit Sol. Quoniam verò Luna Solis radiis accenditur, ſplendoremque ſuum ab eo recipit: Sole obſcurato Lunam quoque obſcurari neceſſe fuit;

&

& Solem quidem in ſuperiore hemiſphærio, Lunam verò in inferiore. Unde & illud ſequitur, quod in fine ænigmatis habetur, tenebras tum temporis per univerſum terrarum orbem fuiſſe.

Porrò defecit Sol in ipſo meridie. Nam hora ſexta fuit ipſiſſima meridiei hora apud Judæos; qui ex more quemlibet diem, quantuſcunque ille eſſet, in duodecim horas partiebantur, eaſque ab ortu Solis numerare incipiebant; ut patet Joh. 11.verſ.9. ubi Chriſtus ait: *Nónne duodecim horæ ſunt diei?* & clarius Matthæi 20.in parabola illa de vinitore operarios in vineam ſuam conducente. Ibi enim, qui undecimâ hora erant conducti, unam horam operati eſſe dicuntur. Quo fit perſpicuum, Judæorum horas inæquales fuiſſe: id eſt, longis diebus longas, brevibus breves: cùm contrà noſtræ perpetuò ſint æquales.

Quoniam verò horæ Judæorum cum noſtris non coincidebant, niſi tempore æquinoctiorum, ſub æquinoctium autem vernum Chriſtus eſt paſſus: efficitur, tenebras illas, quas Matthæus cap. 27. verſ. 45. & Marcus cap. 15. verſ. 33. ab hora ſexta uſque ad horam nonam factas eſſe ſcribunt, ſecundum noſtrum horologium contigiſſe horâ diei duodecimâ, & ad tertiam uſque pomeridianam duraviſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Duo autem hoc loco ſunt, de quibus diverſæ doctorum ſunt ſententiæ: quorum alterum eſt, an defectio illa Solis fuerit univerſalis: alterum, quomodo contigerit. Origenes, referente Thoma Aquinate, *in Continuo ſuper Matthæum*, mirari ait filios hujus ſeculi, quod rem tam mirabilem, nemo Græcorum aut barbarorum ſcriptorum annotaverit; arbitraturque, eas tenebras Hieroſolymis, vel ſi latius quis extendere velit, in Judæa contigiſſe, ſicut & velum ſciſſum & terræ motus: nec veram fuiſſe defectionem, ſed nubes denſiſſimas & tenebricoſiſſimas ab hora ſexta ad nonam uſque Hieroſolymam & Judæam obtexiſſe & veluti obumbraſſe. Atque hanc Origenis de utroque fuiſſe ſententiam, Lyra quoque ſcriptum reliquit. Verùm apud alios quoque populos extra Judæam tenebras illas fuiſſe obſervatas, ex ſequentibus apparebit.

Phlegon, inſignis Olympiadum ſcriptor, refert Olympiade 202. magnam & excellentem inter omnes, quæ ante eam acciderant, Solis defectionem eſſe factam, diemque hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſum, ut ſtellæ in cælo viſæ ſint, terræque motus in Bithynia Niceæ urbis multas ædes ſubverterit: de quo vide Euſebium in ſuo Chronico ad numerum Olympiad. 202.

Tertullianus in apologetico cap. 21. in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Romanorum quoque annalibus iſtarum tenebrarum mentionem fieri ſcribit. *Eodem momento dies*, inquiens, *medium orbem ſignante Sole ſubducta eſt. Deliquium utique putaverunt, qui id ſuper Chriſtum prædicatum non ſcierunt; & tamen eum mundi caſum relatum in archivis veſtris habetis.*

Lucianus Martyr, apud judices verba faciens, ſcrutari eos jubet ſuos annales; & inventuros, tempore Pilati ceſſaſſe lucem medio die, fugato Sole.

Dionyſio Areopagitæ & Apollophani conſpecta fuit ea Solis defectio Heliopoli in Ægypto. Sic enim Dionyſius ait, epiſtola ſeptima ad Polycarpum Smyrnæorum epiſcopum. *Eramus* (ego ſcilicet & Apollophanes) *ambo apud Heliopolim, amboque ſimul incidentem mirabiliter Soli Lunæ globum notabamus* (*non enim ejuſce conjunctionis tunc aderat tempus*) *ipſaque rurſus ab horâ nonâ ad Solis diametrum ad veſperam ſupra naturæ vires reſtituta.* Ejuſdem eclipſeos epiſtola quoque undecima, eaque ultima, meminit. Unde tanto prodigio ſtupefactus, fertur dixiſſe: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvitur.* De quibus plura invenies in Chronologia Gerhardi Mercatoris cap. 3. & apud Mornæum de veritate Chriſtianæ relig. cap. 34.

Euſebius de demonſtrat. Evangel. libro 10. demonſtratione 6. allegat ex Propheta

pheta Amos verſum 9. cap. 8. in quo hæc ſunt verba: *Et erit in die illa, dicit Dominus, occidet Sol in meridie, & obtenebrabitur ſuper terram in die lux*: idque vaticinium evidentem exitum ſortitum ſcribit tunc, cùm, Chriſto ſalvatore in crucem acto, à ſexta hora tenebræ fierent ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam. Videtur igitur Prophetæ verba propriè intellexiſſe, atque ita accepiſſe, quaſi Sol, Chriſto in cruce pendente, mirabiliter occiderit, noctemque ſuo occaſu cauſaverit in eo quod circa terram eſt, ut loquitur demonſtratione 7. Ejuſdem ſententiæ & Lactantium fuiſſe, videre eſt divinar. inſtitut. libr. 4. cap. 19. ubi Sibyllæ quoque de ea Solis obtenebratione vaticinium recitat. Cyprianus ſermone 3. de bono patientiæ, Solem, ne Judæorum Chriſtum crucifigentium facinus aſpicere cogeretur, & radios & oculos ſuos ſubtraxiſſe ait.

Sed quid obſtat, quò minùs exiſtimemus, Solem citra fugam, citra occaſum, & citra Lunæ, quæ tunc Soli è diametro erat oppoſita, interventum, inexplicabili quadam & prorſus miraculoſa ratione, ſuo ſplendore à Deo privatum, atque ſic in toto terrarum orbe tenebras fuiſſe, obſcurato ſcilicet in eo hemiſphærio, in quo ſita erat Judea, Sole: in oppoſito autem, Lunâ: quæ tunc pleno orbe ex adverſo lucens illud illu-

ſtrare debebat. Quod Solis lumine intercepto neceſſariò fieri oportuit, à quo lunam omnem ſuum ſplendorem capere & ſpeculi inſtar repercutere, exploratiſſimum eſt.

Obſtare dices autoritatem Dionyſii, referentis, ſe & Apollophanem incidentem mirabiliter Soli Lunæ globum vidiſſe. Ego verò obſtaculum hoc facilè puto removeri poſſe. Vidêre ambo, Solem Lunæ plenæ è diametro oppoſitum ſplendore ſuo contra legem naturæ privari & deficere. Scientes autem, Solis defectus cauſam eſſe Lunæ inter Solem & videntis oculos interventum, ſimili de cauſa tunc quoque Solem deficere ſunt arbitrati, licet tempore non naturali. Verùm ſi ea ratio ejus eclipſeos fuiſſet, qualem illi credidere, ſenſim atque minutatim Sol ſplendorem ſuum amiſiſſet, eodemque modo recepiſſet, atque ſic tenebræ ex illa eclipſi natæ non duraſſent tres horas integras. Nam in ejus incremento & decremento lux tenebris mixta aliquid ſaltem fulgoris in terram miſiſſet. Fac autem, Lunam momento citius ex inferiore hemiſphærio in ſuperius evocatum Soli ſeſe ſubjeciſſe, eumque totum obſcuraſſe, poſteaque eadem celeritate in locum ſuum remeaſſe. Quis obſecro in tanta curſu celeritate diurnaque luce tam clara venientem illam & recurrentem obſervare potuit? De-

mus

mus autem & hoc (quod tamen haud ſcio, an dari debeat) alia major ſupereſt difficultas. Etſi enim totum Solem obſcurare Luna poſſit, quia longo à Sole abeſt intervallo, tamen, quia terra major eſt quàm Luna, totum illud hemiſphærium, quod Sol illuſtrat, Luna lumine Solis ſpoliare nequit. Unde ajunt, totales quidem Solis eclipſes quandoque fieri: univerſales autem nunquam. Contigiſſet igitur illa Lunæ eclipſis in Judæa & vicinis regionibus, at non in remotioribus, in quibus tamen obſervatam eſſe ex ſuprà allegatis teſtimoniis liquet. Unde ſequitur, Solis radios non à Luna ſubeunte tunc interceptos fuiſſe ſecundùm naturæ curſum: ſed à cauſa præſtantiore, hoc eſt, Deo, lumen Solis ad tempus ſupra naturam exſtinctum, ut eo prodigio teſtatum faceret, illum, quem Judæi ſub id tempus cruci affixiſſent, homine ſublimiorem fuiſſe. Quid mirum igitur, Lunam integro lumine veſperi, ex adverſo Solis jam occidentis, in Oriente ex inferiore hemiſphærio ſupra horizontem ſenſim emerſiſſe, atque in conſpectum naturali progreſſione veniſſe? Utut ſit, miraculo defectio illa non caruit.

Ad ea, quæ hactenus dicta ſunt, pertinet, quod in vita Caroli Magni ſcriptum eſt, meridie Solem defeciſſe triduo, poſtquam Lunæ fuiſſet eclipſis. Quæ eclipſis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

utique non ſine miraculo fuit : quia tunc Luna non procul ab oppoſitione adhuc exiſtens, Soli ſubjici, ejuſque aſpectum nobis eripere nequivit. Scaliger exerc. 79. diſt. 3. exiſtimat, id alia nulla ratione fieri potuiſſe, niſi attractis à Sole vaporibus adeò ſpiſſis, ut viſus interciperetur.

Refert etiam Franciſcus Petrarcha rerum memorandarum libr. 1. tractatu 6. cap. 16. obſidente Brixam Henrico ſeptimo, in Galliis Solis ac Lunæ ſimul eclipſin & minacem utriuſque ſideris faciem viſam : quod equidem, quo ſenſu dicatur, neſcio.

Nec alienum eſt, quod Gabriel Rollenhagius ſcribit, in ſeiner Zugabe/am vierten capitel : daß auf den tag Michaelis im jar 1571. durch gantz Teutſchland / die ſonne am lautren klaren blawen himmel /von frů morgens/biß umb vier ſchläge nach mittag/wie ein glůend eiſen und monfinſternus / ohn alle ſtralen geſehen worden. hoc eſt, in feſto D. Michaëlis anno Chriſti 1571. per totam Germaniam cælo ſereno, ſudo & cæruleo, Solem ab ejus exortu ad quartam horam pomeridianam uſque, ferro candenti Lunæque deficienti ſimilem, & omnibus radiis deſtitutum apparuiſſe.

ÆNIG-

ÆNIGMA IX.

Heu nimiâ me mole gravas! heu grande moleſtas!
At tamen haud ſatias me capit ulla tui.

SOLUTIO.

HYdropicus, quem ea aquæ inter cutem ſpecies tenet, quæ Aſcites dicitur, etſi aqua plenum intentumque habet ventrem, ſiti tamen inexplebili cruciatur. Ubi tria potiſſimùm conſiderabimus. Primò, quid ſit id, quod tantam humoris copiam in corpore generet. Secundò, per quas vias humor ille in id ſpacium, quod eſt inter peritonæum & inteſtina, perveniat. Tertiò, qua de cauſa ſitis oboriatur in tanta humoris abundantia.

De primo tenendum, in omni hydrope vero à frigida hepatis intemperie, tanquam proximâ & continente cauſa, plus ſeri quàm ſanguinis generari. Id ſerum ſi neque per renes & veſicam mingendo, neque per poros cutis ſudando excernatur; neceſſe eſt, ut in corpore retineatur & ſenſim cumuletur. Idcirco ſi multum ſudoris aut urinæ per tempus aliquod excernatur, poſteà excerni deſinat; ſignum eſt, hydropem non longè abeſſe. Remota autem atque antecedens hydropis cauſa poteſt interdum eſſe nimius hepatis calor: atque is tum ſuffocat

calorem naturalem ; ut videmus exiguam flammam, ſi Soli flagranti exponatur, marceſcere & exſtingui : tum ſitum excitat, quam dum æger incontinentior potu lenire conatur, calorem perimit ; neque refert, an potus ille ſit vinum , an cerviſia , an aqua : omnis enim potus ultra modum aſſumptus eam noxam valetudini inferre poteſt : licet aquæ frequentius quam cerviſiæ: & hujus frequentius quàm vini. Ad vinum quod attinet, id non aliter calorem nativum perimit , quàm nimia olei copia lampadem extinguit. Aqua autem tam copiâ ſui , quàm contrariâ qualitate, hoc eſt, frigore calori naturali exitioſa eſt. Medio modo ſe habet cerviſia. Denique calor, qui naturæ limites egreditur , evocat ex hepate calorem naturæ convenientem , eoque paulatim diſſipato efficit , ut in ejus locum frigida intemperies ſuccedat, quemadmodum vino per æſtatem aceſcenti videmus contingere. Ex hoc enim poſtquam æſtus aëris , partes elicuit calidiores , quicquid iis diſſipatis ſupereſt , in acetum convertitur. Atque huc refero illum calorem , qui jecur ex labore & exercitio , vel morâ longiore in ſole aut balneo invadit. Evenit tamen ut plurimùm, ut frigidam hepatis intemperiem nullus præter naturam calor præcedat ; ut , ſi quis alioqui ſanus nimio frigidæ hauſtu nimiove frigidorum cibo-

rum eſu ventriculum prius, deinde & hepar refrigeret. Nec raro longa in gelu vehementi vel nive vel aqua frigidâ commoratio calorem innatum minutatim labefactat & opprimit. Idem ſuffocatur nimiâ ſanguinis copia, ut in menſium & hæmorrhoidum retentione, non aliter quàm lampas affatim affuſo oleo, aut ignis ubertim impoſitis lignis. Quandoque frigida jecinoris intemperies ſanguinis nimias evacuationes ſequitur, ſive is ſupra per nares, ſive infra per menſes aut alvum, ſive etiam per vulnus in quacunque corporis parte erumpat. Ut enim ſubtracto oleo lampas, ut lignis demptis, ignis; ſic ſpiritu cum ſanguine exhauſto calor evaneſcit. Quod ſi etiam aut ſplen aut bilis veſicula ob aliquod ſuum vitium ſanguinem non purgent, ſanguinis impuri ſentina calori interitum minatur. Si inſuper neque renes officium faciant, retinetur ſerum, & non tantum calorem hebetat; verùm etiam aquâ in unum contractâ hydropis materia evadit. Proximam igitur aſcitis & continentem cauſam frigidam hepatis intemperiem ponimus, licet Tralliano, Cardano, & Fernelio ſecus viſum fuerit. Atque hactenus de primo.

Sequitur alterum, qua ratione aqua in ventrem colligatur. Quidam putant, ramos venarum meſaraicarum in ventris ſpacium

pertinentes dehiſcere & aperiri, ex iisque ſenſim humorem in ventrem manare. Aperiuntur autem vel humoris copia, vel acrimonia vel flatibus admiſtis. Quidam per occultos poros transſudare ſerum crediderunt. Fernelii ſententia eſt, in aſcite aliquid exeſum, apertum, ruptum fiſſumque eſſe, per quod ſeroſus humor, utpote tenuis, ſine ſanguine, ſicut & in renibus fit, in abdominis cavum illabatur: ideoque & illis aſcitem ſupervenire, qui rupta vel exesa viſcerum vena cruentis vomitionibus aut dejectionibus obnoxii ſunt. Illis item, quos icterus malè habet, vel quibus lien, vel jecur, vel meſenterium veteri ſcirrho obduruit. Quandoquidem viſcerum ſubſtantiam ſiccitate humorisque penuria ceu rimis quibusdam fatiſcere, membranamque, qua ambiuntur, diſtringi; eoque fieri, ut non ampliùs tenui ſero continendo ſit idonea. Quapropter ſerum, ut in renibus fit, elabi; atque ſenſim quaſi ex fiſſa olla in abdominis ſpacium ſtillare. Idque velle Hippocratem, cùm ait 55. aph. ſect. 7. Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, iis ventrem aqua repleri. Quòd ſi ſola viſceris ſubſtantia diffindatur, membrana autem integra maneat, fieri veſiculas aqua plenas, quas ὑδατίδας Græci vocant. Itaque ex Fernelii ſententia cauſæ omnes, quæ jecur vehementer exicant, ut ardentes

ardentes febres, ut calidiorum ciborum, præſertim vini meracioris, uſus liberalior, aſcitem invehunt.

Adverſus hæc Augenius in homine vivo negat ullum viſcus adeò exſiccari, ut rimas agat. Deinde quærit, unde tanta aquæ copia gignatur, cùm jecur arefactum humoris ſit expers. De fiſſurâ poſt vomitum aut dejectionem ſanguinis relictâ ſcrupulum injicit; ſi per eam aqua influat in ventrem, cur non ipſe etiam unà ſanguis influat, qui antea per eam exierat. Denique Hippocrates aphor. 55. ſect. 7. longè aliud illi velle videtur, atque putat Fernelius. Quippe hunc eſſe ſenſum: Quibus jecur aqua pro ſanguine abundat, iis ſi rumpatur membranula jecur inveſtiens, fieri hydropem. Tunc autem jecur abundare aqua pro ſanguine, cùm ob frigidam intemperiem αἱματώσεως munus non rectè exſequitur. Galenus aliter ſentiens, eum Aphoriſmum de hydatidibus ruptis interpretatur. Refutatâ Fernelii ſententiâ, Augenius aquam in ventrem fluere putat vel per rupturam modò dictæ membranæ, vel cùm ſerum per integram transſudat; easque vias, etſi non ſint ſenſibus manifeſtæ, notas tamen eſſe naturæ dicit. Hæc fuſiùs propoſita invenies epiſtolarum ipſius medicinalium tomo primo lib. 8.

Supe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Super eſt, ut, quod tertio loco facturum me promiſeram, ſitis hydropicis infeſtæ cauſas exponam. Alexander Aphrodiſeus lib. 1. problem. 31, tres ſtatuit: quarum prima eſt, quòd humor in ventre præter naturam retentus indies magis magisque putreſcat, ſimulque ſalſeſcat. Atque ſalſedinem excitare ſitim vulgo notum eſt. Secunda, quòd putreſcentem in ventris lacuna humorem neceſſariò comitetur febricula aliqua, quæ ſine ſiti eſſe nequeat. Tertia, quòd, quò magis humor ille in ventre coacervetur, eò magis per univerſum corpus alimentarius minuatur, atque hinc non tantùm tabem illam, quâ partes reliquæ extenuantur, verùm etiam ſitim, quâ ægri afficiuntur, exiſtere. His addunt alii pulmonum laborem in difficili reſpiratione, quem diaphragmatis ab humoris copiâ compreſſio efficit. In eo autem labore pulmones exſiccari dicunt, & inde quoque bibendi deſiderium hydropicis augeri, cui, ſi nimiùm indulgeant, malum gliſcit:

Ad hanc hydropicorum vitioſam conditionem reſpiciens Ovidius, avaros & hydropicos tanquam ſimiles inter ſe comparat lib. 1. Faſtorum:

Creverunt & opes & opum furioſa libido,
Et cùm poſſideant plurima, plura petunt.
Quærereut abſumant, abſumpta reſumere certant,

Atque

Atque ipſæ vitiis ſunt alimenta vices.
Sic quibus intumuit ſuffusâ venter ab undâ,
Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Et lib. 3. elegia 4. perverſum hominis, rei prohibitæ cupidiùs inhiantis, ingenium hydropici exemplo declarat:

Nitimur in vetitum ſemper, cupimusq; negata:
Sic interdictis imminet æger aquis.

ÆNIGMA X.

Maſſa gravis quando, mergi quæ ſuevit, avetque,
Invita in ſummis fluitat, neque mergitur, undis?

SOLUTIO.

JUdices quibusdam in locis exploraturi, an fœminæ, quæ pro ſagis delatæ & comprehenſæ ſunt, verè tales ſint, quales arguuntur, inter alia indicia & hoc, quod ſequitur, adhibent. A carnifice ſuſpectæ veſtibus exuuntur, manusque dextra ſiniſtro pedi, & manus ſiniſtra dextro pedi, per pollices arctiſſimis ligamentis adſtringuntur, ne vel minimùm movere ſeſe poſſint. Poſtea in flumen conjiciuntur; in quo ſi fluitent & non merigantur, ſagæ exiſtimantur; ſin ſubſidant fundumque petant, innocentes putantur. Referunt autem illi, qui hujus ſagarum explorationis ſpectatores fuerunt, eas omnibus viribus eniti, ut ſubmergantur, nec tamen poſſe.

Hujus

Hujus rei Guihelmus Adolphus Scribonius in epiſtola quadam, quam ad Senatum Lemgovienſem de hoc examine ſcripſit, cauſam Phyſicam ſcilicet allaturus, ſagarum corpora ait à Diabolo obſideri: Diaboli autem naturam eſſe leviſſimam: eaque de cauſa Diabolum ſuam levitatem cum ſagis communicare, vel earum corpora illâ ſuâ levitate in ſumma aqua ſuſtentare & prohibere, quò minùs ſuapte pondere deprimantur.

Verùm quot hîc enunciata, totidem errores. Primùm enim, quòd ſagarum corpora à Diabolo non obſideantur, argumento eſt, quòd ad eas certo tempore venit, hoc vel illud agit, & rurſus diſcedit. Eſt igitur extra corpora ſagarum. Obſeſſi enim Diabolum intra corpora ſua habent, ut teſtatur ſcriptura Marc. 1. ℣. 23. & 5. ℣. 2. Et niſi Diaboli in corporibus obſeſſorum re ipsâ eſſent, fruſtra obſeſſi, ad Chriſtum, ut immanes illos ſpiritus ex ipſorum corporibus expelleret, forent adducti: fruſtra Chriſtus ſpiritus illos expuliſſet: fruſtra, ne denuò ingrederentur, prohibuiſſet. Adhæc obſeſſi vel aſpectantibus aliis miſerabiliter à Diabolo exagitantur, affliguntur, ſternuntur, præcipitantur; quale nihil, aut perquam raro in ſagis animadvertitur. Quid? quòd obſeſſi non ſunt ſanæ mentis, aut eâ ſaltem uti non poſſunt, quoties mali ſui exacerbationes

ſuſtinent?

ſuſtinent? At ſagæ integrâ mente inter homines obverſantur. Obſeſſi etiam peregrino ſermone, eoque quem nunquam didicerunt, loqui ſolent, quod ſagæ non faciunt. Ex quibus (ut plura aliis locis opportuniora mittam) ſatis ſuperque conſtare arbitror, ſagas à Diabolo non obſideri,

Neque verum eſt, Diaboli naturam eſſe leviſſimam. Nam levitas eſt qualitas corpori conveniens, Quapropter ſpiritus, propriè loquendo, nec levis, nec gravis dici poteſt. Unde efficitur, Diabolum levitate ſuâ, quam nullam habet, nec imbuere ſagarum corpora, nec per eam in aquæ ſuperficie retinere poſſe.

Demus autem, obſideri ſagas à Diabolo: demus, Diabolum eſſe levem; non tamen ob id à ſubmerſione erunt immunes. Nam cùm in porcos Gergeſenorum dæmones, Chriſti mandato, irruiſſent; totus porcorum grex in mare ſe præcipitavit, & aquis obrutus atque ſuffocatus fuit.

Epiſtolæ Scribonianæ editionem ſecuta eſt ſagarum Phyſiologia; in qua ex diffidentia priùs allatæ cauſæ ad aliam non in ipſis ſagis, ſed in aqua, cui innatant, quærendam animum convertit. Ait igitur, in Baptiſmo nomina nos Chriſto dare & albo ejus incorporari. Quoniam verò ſagæ, ſpreto iſto lavacro, toti Trinitati, Patri, Filio & Spiritui ſancto

volentes renunciârint : idcirco aqua , per quam lavacrum illud perficitur, ſagas odio proſequi,& in ſeſe recipere nolle, ſed omnino reſpuere:atque hanc ob cauſam ſagas in aquã conjectas ſubmergi non poſſe; in eum ſcilicet finem,ut reas eſſe,magiſtratui innoteſcat.

Sed , proh dolor ! hîc locum non habet illud,quod perhibent, δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Siquidem delirium hoc priori longè eſt abſurdius, ne quid dicam gravius Ait enim, ab aqua ſagas odio haberi propter baptiſmum ab ipſis ſpretum. Ergóne ſagæ offenderunt aquam , eamque offenſionem illa ſentit? Quî obſecrò ſentire poteſt , quod non vivit? & quod ſenſus eſt expers, quî poteſt odiſſe? Utique aqua eſt corpus inanimatum; quod verò ſentit & odit, animâ præditum ſit oportet. Certè ſi aqua ſagas odio proſequeretur , etiam læderet eas , atque id ſuffocando.

Talis utique quondam purgationis per aquam frigidam fuit ratio,qualis & ferri igniti. Qui lædebatur ab alterutro, reus habebatur ; qui verò illæſus manebat, innocentiæ teſtimonio ſingulari ornatus abibat. Sicut autem ferrum ignitum lædebat urendo , ſic aqua ſubmergendo & ſuffocando. At verò hac ætate Diabolus (quo conſilio , ipſe noverit) purgationem per aquam frigidam invertit , fecitque,ut ille ſuperſtitioſorum

hominũ judicio culpâ vacuus putetur, qui ab aqua læditur, hoc eſt, abſorbetur & mergitur.

Nullum autem aquæ erga ſagas eſſe odium, vel ex eo patet, quòd extra illam probationem ſubmerſioni non minùs ſunt opportunæ, quàm alii homines. Lavantur etiam aquâ; &, (quod pluris eſt) aquam bibunt, ex eaque nutrimentum capeſſunt. Certè quod in nutrimentum alicujus convertitur, amicum ejus naturæ ſit oportet.

Adhæc irritum Baptiſmum faciunt, quotquot è Dei cœtu in caſtra Diaboli transeunt, ut Mamaluchi apud Turcas, aliique apoſtatæ per Baptiſmum viſibili Dei Eccleſiæ olim inſiti. Cur non igitur erga hos quoque aqua odium concipit, eoſque mergi non ſinit?

Quod autem ex *Philarcho* Scribonius allegat, in Ponto eſſe genus quoddam hominum, quod nullâ ratione ſubmergi queat, ex eo contra ipſum argumentum ſumam. Siquidem illi ethnici erant, ſacri baptiſmatis ignari & expertes. Itaque propter violatum Baptiſmum aqua eos odiſſe & averſari non potuit.

Reliquum igitur eſt, innatationis illius ſagarum in aquæ ſuperficie alias eſſe cauſas, quàm hactenus allatæ fuerunt. Ea verò nec in ſagis, nec in aqua, ſed in ipſomet eſt Diabolo; qui ſagarum corpora eâdem vi ſuſtinet & ſub aquas deſcendere vetat, quâ per aërem vehere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

vehere, atque, quò vult, ea tranſportare valet: idque non in alium finem, quàm ut ſuperſtitione judicum animos dementet, iiſque à recta cognoſcendi & judicandi normâ ſeductis, inſontes damnari, ſontes autem abſolvi contingat; qua ex re χαιρέκακος ille peculiarem voluptatem percipit.

Hæc fuſiùs à me ſuperioribus annis tractata ſunt ſub nomine Ignoti Patroni Veritatis. Itaque nunc nolui eſſe longior.

Teneri autem hîc non poſſum, quin exempla quædam hyperphyſicæ & miraculoſæ corporum gravium in aqua fluitationis ſubjungam. Ferream ſecurim natare fecit Eliſæus 2. Reg. 6. ℣. 6.

Vincentii Martyris cadaver, quod Datianus alligato lapide molari ſubmergi juſſerat, unà cum molari lapide in mari natavit. De quo Prudentius:

Saxum molaris ponderis
Vt ſpuma candens innatat.

Idque poëta divinæ adſcribit potentiæ, ſic exclamans:

O præpotens virtus Dei!
Virtus creatrix omnium:
Quæ turgidum quondam mare
Gradiente Chriſto ſtraverat,
Vt terga calcans æquoris
Siccis mearet paſſibus,
Plantas nec undis tingeret

Vaſtè

Vaſti viator gurgitis.
Hæc ipſa virtus juſſerat
Rubrum ſalum dehiſcere
Patente dum fundo aridum
Secura plebs inceſſerit,
Nec non & ipſa nunc jubet
Servire ſancto corpori, &c.

Idem autor eſt, ſimile quid contigiſſe in martyrio Quirini Epiſcopi Eccleſiæ Siſejanæ; quem cùm Galerius aquis enectum vellet, ipſius mandato

Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis epiſcopus
In præceps fluvio datur,
Suſpenſum laqueo gerens
Ingentem lapidem molæ.
Dejectum placidiſſimo
Amnis vertice ſuſcipit,
Nec mergi patitur ſibi
Miris vaſta natatibus
Saxi pondera ſuſtinens:

donec ipſemet martyr tandem martyrii palmæ & cæleſtis vitæ cupidus, precibus ſuis à Domino noſtro Jeſu Chriſto flagitaret & impetraret, ut hoc mortis genere vitam finire ſibi liceret. Fides ſit penes autorem.

Nunc diverticulo ab inſtituta quæſtione facto, ſcrutabimur, quid de ſubmerſorum corporibus ſentiendum, quæ ſeptimo aut nono die, poſtquam ſubmerſa fuerunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

runt, emergere, & in aquæ ſuperficie fluitare ſolent. Priſtinam utique gravitatem non amiſerunt: tantòque magis mirum, quòd vitali calore, ſpirituque jam deſtituta è fundo in ſummam aquam aſcendunt, eique incumbunt & natant; quibus dum adhuc prædita fuerunt, ſine dubio multò fuerunt leviora.

Levinus Lemnius lib. 2. de occultis naturæ mirac. cap. 6. exiſtimat, corpus ſubmerſum undique humore oppleri, atque aquarum pondere deprimi, ideoque ſurſum non poſſe eniti; quippe quòd nihil aëris in ſe contineat, omni ſpiritu per aquæ gurgitem excuſſo. Intra ſeptimi verò diei aut noni ſpacium corpus diffluere, ſolvi ac tabeſcere, multumque aëris pulmone concipere. Atque hinc illud eſſe, quod plebeii in Selandia dictitent: nono die, rupto felle: emerſurum, qui ſubmerſus eſt: non, quòd folliculus fellis disrumpatur; ſed, quòd ex eo reliquisque conceptaculis uvidis, atque aquæ madore flaccidis, humores effluant. Atque hinc fieri, ut corpus attenuatâ carne fluidum efficiatur, ac pulmo ſpongiæ inſtar fiſtuloſus, concepto copioſo aëre, cadaver ſubducat auræque reſtituat. Hæc Lemnii ſententia eſt, quam in medio relinquo.

Mihi verò ſubmerſorum cadavera eo tempore, quo emergunt, putredinem, atque ex ea calorem, atque ex hoc attenuatâ

mate-

materiâ putreſcenti ſpiritum contraxiſſe, ejusque adminiculo ritu utrium aëre plenorum ex aqua exilire atque in ea natare videntur. Argumento, quòd quæcunque extendi in cadavere poſſunt, poſt animæ diſceſſum plerunque intumeſcant atque inprimis venter. Ad quam ſententiam quamproximè accedere videntur Conimbricenſes in librum 4. de cælo cap. 6. quæſt. 1. art. 2. licet in verbis aliqua ſit diverſitas.

Nec inconveniens hoc loco fuerit inquirere, cur virorum aqua ſuffocatorum cadavera ſupina, fœminarum autem prona fluitent. Plinius lib. 7. cap 17. innuit, naturam pudori parcere; idemque verbis nonnihil mutatis Solinus facit capite 5. ſui Polyhiſtoris. Sed hæc finalis cauſa eſt. Efficientem autem talem affert Levinus Lemnius loco jam dicto; quòd fœmina ventricoſa ſit, ac conceptacula abdominis laxiora habeat; tum etiam ubera fungoſa, quæ facilè humorem imbibant, ideoque anteriorem corporis partem eis degravari & deorſum labi: viros autem hæc omnia habere auguſtiora & aſtrictiora: & rurſum coxendicis oſſa ponderoſa, armos robuſtos, ſcapulas amplas: atque hinc illud eſſe, quòd cadavera virorum, qui in aquis perierunt, ſic ſuper aquis ferantur, ut in dorſum tanquam graviorem partem pectore ſublimi incumbant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Huic ſuffragatur Cælius Rhodig. antiquar. lection. lib. 2. cap. 10. & Petrus Meſſias de Sevilia Sylvæ variarum lectionum parte 1. cap. 14.

Sed extra oleas ſatis longè evagatus ſum. Itaque hujus evagationis occaſione non eò, unde digreſſus ſum, ſed ad novum ænigma transibo.

ÆNIGMA XI.

Tota hominum vitas credor ſuperare novenas,
Sume mei medium; primum tunc vivere dicar
Poſtremumque mori. reliquâ de parte rogati
Reſpondent phyſici, ex tenui hanc prodire vapore,
Aëris acre gelu medii quem ſtringit in alto,
Propria præcipitem gravitas agit atque patenti
Inducit latè quaſi cendida vellera campo.

SOLUTIO.

TOta dictio eſt *Cornix*. Ea ſi dividatur in duas medietates, earum prior erit *cor*; poſterior, *nix*.

Ad cornicem quod attinet, ei Heſiodus, referente Plinio lib. 7. cap. 48. novem noſtras tribuit ætates, Quod Virgilius ſic expreſſit:

Ter ſenos deciesque novem ſuperexit in annos
Iuſta ſeneſcentum quos implet vita virorum.
Hos novies ſuperat vivendo garrula cornix,

Verſus autem Heſiodi citantur à Plutar-

cho

cho iu libro de oraculorum defectu. Ovidius 7. metamorph. fab. 2. cornicem vocat *novem ſecula paſſam.* Hinc proverbium, *cornice vivacior*, apud Eraſmum chil. 1. cent. 6. num. 64. & Horatius 4. carminum Ode 19. inſultans Lycæ, quod in decrepitam etatem veluti ad ludibrium ſervaretur, his verſibus utitur:

Cynaræ breves
Annos fata dederunt,
Servatura diu parem
Cornicis vetulæ temporibus Lycen.

Eidē 3. carm. Ode 27. *cornix annoſa* dicitur.

De corde ſic Ariſtoteles lib. 2. de generat. animalium cap. 4. *Fit primò principium, quod in ſanguineo genere cor eſt: in cæteris aliquid cordi analogum: idque effici primùm, non modò ſenſu percipitur; ſed etiam, quòd per obitum vita hìc ultimò deficit.* Et Plinius lib. 11. cap. 37. *Cor primùm naſcentibus in utero formari tradunt, deinde cerebrum; tardiſſimè oculos. Sed hos primùm emori, cor noviſſimè.* Quòd ſi autem primùm in utero cor generatur; neceſſe eſt, ut primùm quoque vivat. Nam fons eſt caloris & ſpiritus, in quibus omnis poſita eſt vivendi ratio. Galenus de fœtuum formatione ait: ſe, cùm in libro de ſemine commentarium conſcriberet, cogereturque de ordine formationis ſingulorum membrorum aliquid dicere, cor æquè ac jecur primis fœturæ diebus quaſi fundamentum

quod-

quoddam jeciſſe, ad quod aſſerendum uſu ipſius in adultis ac perfectis maximè neceſſario fuerit adductus. Poſteaquam verò cognoviſſet, fœtum uſque ad plenam formationem plantæ modo vivere, probabilius ſibi viſum, nullam in principio cordis eſſe neceſſitatem, ſed ipſum poſt jecur formari. Atque hujus ſententiæ Columbum quoque fuiſſe, lib. 12. de re anatomica legimus. Eſto autem: fœtus primum plantæ inſtar vivat, eâ ſcilicet animæ potentiâ, quam vegetativam vocant, hoc eſt, nutriatur & creſcat, ac proinde jecur primarium nutritionis organum primò generetur. Detur poſtea, cum animæ potentia ſenſitiva animalis quoque vitam accedere. Ergo fœtus tum ſentire incipit. Atqui cum ſenſus principium ſit cerebrum: ſequeretur ex hoc, cerebrum generationis ordine hepati eſſe proximum. Quibus conceſſis, quando cor generabitur? Nunquam. Non enim ante jecur, primo ſcilicet loco; quia jecur ex Galeni & Columbi ſententia origine primum eſt; nec poſt cerebrum poſtremo, quia ante cerebrum cor naſci volunt; nec etiam ſpacio intermedio, quia hoc non patitur ordo, quem inter vitam plantæ & animalis, dum fœtus in utero naſcitur, ſtatuunt; ubi nihil medii intervenit. Quid igitur, ſi dicamus, cordis rudimenta omnino jam extare oportere,

cùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

cùm fœtus vivere incipit; quia vitæ principium eſt cor? Illi etiam, qui fœtum initio plantæ vitam agere, hoc eſt, vegetari, ad eamque rem jecoris tanquam præcipui vegetationis inſtrumenti uſum neceſſarium eſſe volunt, quid eſt, quòd non cordis neceſſitatem eadem opera agnoſcunt, ſine quo vita in humano corpore non magis eſſe poteſt, quàm nutritio ſine hepate? Aut igitur cor & jecur ſimul ante cerebrum oriri putandum eſt, aut hæc tria ſimul è ſemine in utero delineari; licet non omnia æquè in oculos incurrant.

Supereſt NIX, cujus generationem in ænigmate præſenti adumbraſſe ſufficiat. Clarior ejus explicatio in opportuniorem locum differtur.

ÆNIGMA XII.

Quæ fuit ante alias homini exitiabilis unda?
Quæ fuit ante alias unda ſalubris item?

SOLUTIO.

NUlla unda mortalium generi pernicioſior fuit quàm illa, quâ Deus in diluvio univerſali orbem terrarum obruit. Hac enim deletum eſt, quicquid arca non ſervavit, non hominum tantum, verum etiam brutorũ animalium, quotquot in terra vixerunt: in quæ peccatis ſuis homines Deum ad immittendã funeſtam hanc aquarum cladẽ provocarant.

 Hiſto-

Hiſtoriam ejus Moſes Gen. 7. & 8. deſcribit: & ejuſdem, ſed non ſine aliqua veritatis corruptela, meminerunt ex ethnicis quoque haud pauci: ut Cato in fragmentis ex libris originum; Archilochus de temporibus; Plato in Timæo, & lib. 3. de legibus. Ovidius autem lib. 1. metam. fab. 7. Deucalioneum diluvium, quod ſolam Theſſaliam inundavit, cum univerſali illo, quod tempore Noachi contigit, confundit, ſuaſque illi nugas admiſcet. Lerius quoque in hiſtoria navigationis ſuæ in Braſiliam, teſtatur, Americanos aliquid cantionibus ſuis inſeruiſſe de diluvio, quod univerſam terram operuerit, eoque omnes homines periiſſe, exceptis majoribus ſuis, qui conſcenſis altiſſimis arboribus univerſalem illam calamitatem & humano generi funeſtam effugerint.

Ex iis autem, quæ à Calvetone in caput 20. libri 3. hiſtoriæ novi orbis à Benzone editæ annotata ſunt, conſtat, Peruanos credere, & vulgo narrare, ingentem priſcis temporibus inundationem accidiſſe, eâque omnes mortales ſubmerſos, præter paucos, qui altiſſimorum montium ſpecubus abditi à communi ſubmerſionis periculo manſerint immunes.

Inſuper notatu digniſſimum, quod apud Plutarchum in libro, *Vtrùm terreſtria animalia plus rationis habeant*, legitur, columbam

lumbam ex arca emiſſam Deucalioni indicium feciſſe ſubſidentium aquarum & ceſſantis hyemis: cujus ex eodem meminit Cælius Rhodiginus lectionum antiquarum lib. 12. cap. 14. ubi rurſus nota confuſionem diluvii univerſalis & particularis.

A nullo tamen ethnicorum famoſa illa aquarum clades magis ad rei veritatem enarratur, quàm à Beroſo lib. 1. antiquitatum. Ait enim, fuiſſe gigantes contemptores religionis & deorum, qui nihil non ſceleris admiſerint: cumque à vatibus prædiceretur ea, quæ ſecuta eſt, orbis perditio, conridentibus cæteris, unum fuiſſe deorum venerantiorem & cunctis prudentiorem, cui nomen fuerit Noa. Huic tres fuiſſe filios, Semum, Japetum & Chamùm, & horum cuilibet ſuam fuiſſe uxorem. Noam autem navem inſtar arcæ coopertam fabricaſſe, & anno 78 ab inchoata navi ex improviſo exundaſſe Oceanum & omnia maria mediterranea, fluminaque ac fontes ab imo ebullientes inundaſſe ſupra omnes montes: accedentibus quoque impetuoſiſſimis & ſupra naturam è cælo copioſiſſimis imbribus multis diebus, quibus omne genus humanum ſuffocatum, excepto Noâ cum familia, quæ navi fuerit erepta: eamque navim elevatam ab aquis in Gordiæi montis vertice quieviſſe. Viden'ut recenſeantur à Beroſo gigantes, eorum

peccata, de diluvio vaticinia, Noa & ejus filii, ipſumque adeò diluvium, & aquis ſubſidentibus arcæ in vertice montis Gordiæi quies, qui montes ſine dubio ſunt montes Ararat, quorum in ſacra hiſtoria occurrit mentio?

Unum adjiciam, in quo mira veritatis in duplici mendacio deprehenduntur veſtigia. Scriptura narrat, Noam agros coluiſſe & vineas plantaſſe, cumque vino ebrius & proſtratus partium verendarum velamenta imprudens abjeciſſet, Chamum minimum natu filium fratribus patris ſui nuditatem oſtendiſſe. E diverſo Beroſus ſcribit, Noam primum omnium inveniſſe vites & vinum conficere docuiſſe, eoque ebrium effectum parum pudicè in terram cecidiſſe. Id vidiſſe Chamum, patrique carmine magico illuſiſſe, eumque ſterilem reddidiſſe. Poëtæ longius adhuc à veritate recedentes, nugati ſunt, Saturnum, hoc eſt, Chamum (fuit enim Cham, Saturnus Ægyptius, cujus meminit Xenophon in æquivocis) patri ſuo Cælo (hoc eſt, Noæ, teſte Beroſo) pudenda exſecuiſſe.

Atque hactenus de aqua humano generi nocentiſſima.

E contrario, nulla unda humano generi ſalubrior eſt eâ, qua regeneratio & à peccatis per ſanguinem Chriſti ablutio credentibus in Baptiſmo ſignificatur & obſignatur.

gnatur. Eſſe autem ſanguinem Chriſti illud ipſum, quod ab omni peccato nos purgat atque lavat, docemur 1. Johan. 1. verſ. 7. & Apocal. 1. verſ. 6. Ergo cum Apoſtolus ait Epheſ. 5. verſ. 26. Deum purgaſſe Eccleſiam lavacro aquæ; ſciendum, ibi more ſacramentali id ſigno attribui, quod rei ſignatæ eſt, ſicut in præſenti quoque ænigmate. Nam teſtimonia illa & ſigna infallibilia ſunt, quippe cum quibus credentes rebus teſtatis atque ſignatis certò potiuntur.

ÆNIGMA XIII.

Quæ fuit ante alias homini exitiabilis eſca?
Quæ fuit ante alias eſca ſalubris item?

SOLUTIO.

NUlla eſca hominis ſalutem magis labefactavit, magiſque præſentem tum animo tum corpori perniciem attulit, quàm pomum illud, quod primi noſtri parentes nefando auſu contra Dei mandatum deguſtarunt. Siquidem cum hujus prohibito eſu enormia peccata concurrerunt, infidelitas, ingratitudo, ſuperbia, perfidia, & ſacrilegium, quæ Deus horrendis ſuppliciis pro juſtiſſimo ſuo judicio punivit. Eorum autem alia utrumque tranſgreſſorem ex æquo concernunt, alia alterutrum. Utrique communia ſunt, mors tum æterna tum

tem-

temporaria, morbique & infirmitates, quæ ad eam deducunt; item imagines Dei in utroque corruptio, & peccata, quæ ex illa prima defectione originem traxerunt. Viro peculiariter pœnæ loco impoſitus eſt ærumnoſus & anxius labor in parandis ad vitam neceſſariis, & in eo ipſo labore maledictio, quatenus aut irritus eſt interdum, aut fructum expectatum non fert. Fœminæ peculiariter irrogatum, ut marito ſit ſubjecta. Accedunt dolores partus, & quicquid moleſtiarum tum geſtationis tum lactationis tempore tolerare cogitur. Quæ ſi quis cum ſtatu innocentiæ contulerit, facilè animadvertet, nihil detrimentoſius vetiti pomi eſu hominum generi contigiſſe.

Eidem nulla viciſſim eſca ſalubrior extitit, quàm caro Chriſti. Hæc enim panis eſt, qui de cælo deſcendit, qui dat vitam mundo; quo qui veſcitur, non moritur, ſed habet vitam æternam, & Chriſtus eum excitabit in noviſſimo die, Joh. 6. Comeditur autem caro Chriſti non ore corporis; ſed ore animæ, hoc eſt, verâ fide, ab iis ſcilicet, qui credunt pro ſe crucifixam carnem Chriſti in remiſſionem peccatorum. Nam Chriſtus ipſemet verſ. 35. *Qui venit ad me*, inquit, *nunquam eſuriet*, (hoc eſt, qui credit in me; ut patet ex antitheſi mox ſequenti) *& qui credit in me, non ſitiet unquam.* Præterea & qui in

Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Chriſtum credit, & qui ejus carnem edit, vitam æternam habere dicitur verſ. 40. & 54. Denique Chriſtus doctrinam de carnis ſuæ eſu finit hac clauſulâ: *Spiritus eſt qui vivificat: caro non prodeſt quicquam.* quaſi diceret: Spiritus ſanctus efficit vitam illam ſpiritualem, excitando in cordibus electorum fidem, quâ caro mea comeditur. At caro more Capernaitico, hoc eſt, carnaliter comeſa, ad generandam in cordibus electorum ſpiritualem illam vitam nullius eſt momenti.

ÆNIGMA XIV.

Potio, dic, quæ ſit, quâ nulla nocentior orbi?
Dic quoque quâ fuerit commoda nulla magis?

SOLUTIO.

APud Plautum in Rudente Ampeliſca Labracem lenonem, quem mari ex naufragio ſubmerſum putabat, ait potando periiſſe, quippe quem magnis poculis eâ nocte Neptunus invitârit: ipſemet etiam Labrax Neptunum incuſat, quòd ſalſam ſibi præbuerit potionem & frigidam. Nec non Charmides, conſors ejuſdem naufragii,

Quin abeo, inquit, *hinc, ut edormiſcam hanc crapulam,*
Quam potavi præter animi, quàm libuit, ſententiam.
Quaſi vinis Græcis Neptunus nobis ſuffudit mare.

 Simili

Simili modo illis (verborum non rerum comparationem inſtituo) qui in univerſali cataclyſmo perierunt, vel invitis ore haurienda & quaſi nullo ſitis invitamento potanda fuit aqua, ad internecionem humanæ progeniei, ſi octo perſonas, intra arcæ parietes ſervatas excipias, ut jam antè ex hiſtoria ſacra enarratum eſt. Verè igitur aquæ illius, qua tot mortales perierunt, potio illis fuit nocentiſſima, qui ad ſuffocationem uſque eam ingurgitare ſunt coacti.

Vice verſa commodior, utilior aut ſalubrior nulla potio hominum generi fuit, quàm ſanguis Chriſti. Nam qui hunc bibit, vitam habet æternam, & Chriſtus in eo manet, & ipſe in Chriſto. Bibit autem Chriſti ſanguinem, quiſquis in Chriſtum credit; & qui in Chriſtum credit, non ſitiet unquam, Joh. 6. 35.

Nonnihil extra ſepta meæ profeſſionis progreſſus ſum, pedemque ut ajunt, in alieno foro poſui. Sed confido, varietatis ſtudium, quod in hoc ſcriptionis genere ſector, apud æquos lectores veniam mihi promeriturum.

ÆNIGMA XV.

Aëre plenus eram, Phœbo nec in alta trahebar:
Nunc plenum humoris Phœbus in alta trahit.

SO-

SOLUTIO.

QVi cortex aëre plenus, à ſole in altum non trahitur, quantumvis ſublimi aut flagranti. Sin Majo menſe eundem corticem rore impleas, & Soli in meridie exponas; elevabitur ab eo & in aërem aſcendet. Quòd ſi difficilior aſcenſus fuerit, vel baculi vel tabulæ adminiculo juvetur, dum aſcendere incipiat. Id in experimentis Johannis Portæ Neapolitani lib. 2. magiæ naturalis cap. 14 ſcriptum invenies.

ÆNIGMA XVI.

Sunt hoſtes bini, qui, dum mea labitur ætas,
Naturæ intentant aſpera multa meæ.
Cumque diu invaſit nunc hic, nunc ille, ſeorſim;
Conjungunt vires tandem aliquando ſuas.
Si ſemel eſſugiam, quæ juncti adverſa minantur:
Junctorum haud vis eſt poſt metuenda mihi.

SOLUTIO.

PEr hoſtes illos binos intellige ſeptimum & nonum quemque annum, in quibus longo tempore animadverſum & obſervatum eſt, inſignes in deterius mutationes mortalibus obvenire. Nam quoties horum alterutrum, vel eorum aliquem, qui ex iis multiplicatis conſurgunt, quis attingit, plerunque aut periculoſo coporis

morbo corripitur, aut animi ob acceptam cladem ægritudine afficitur, aut vitæ ipſius naufragium facit. Græci hos annos climactericos vocant, quaſi dicas gradarios ſive ſcanſiles; quia per ſeptenarios & novenarios ceu per gradus quoſdam ſive ſcalas inſigniores hominis ætas aſcendit.

Sunt autem duplices; ſimplices & compoſiti. Simplices, cùm aſcenſus fit vel per ſolos ſeptenarios, ut ſunt ſeptimus, decimuſquartus, 21. 28. 35. 42. 49. 56. vel per ſolos novenarios, ut ſunt nonus, decimusoctavus, 27. 36. 45. 54. Compoſitus fit ex ſeptenario & novenario coincidentibus; qualis eſt ſexageſimustertius. Novies enim ſeptem, & ſepties novem, ſexaginta tria efficiunt. Atque ille duorum, ut Julius Maternus vocat, maleficorum numerorum in unum confluxus annum ſexageſimumtertium reddit periculoſiſſimum.

Qua de cauſa Auguſtus Cæſar in epiſtola quadam, quam ad Cajum nepotem ſuum ſcripſit, lætitiâ exultat & veluti triumphat, quòd eum annum ſuperarit. Ejus epiſtolæ exemplum extat lib. 15. Noctium Atticarum Gellii cap. 7. in hæc verba: *Ave mi Cai, meus ocellus jucundiſſimus, quem ſemper medius fidius deſidero, quum à me abes: ſed præcipuè diebus talibus, qualis eſt hodiernus, oculi mei requirunt meum Cajum, quem (ubicunque hoc*

die

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

die fuiſti) ſpero lætum & bene valentem celebraſſe quartum & ſexageſimum natalem meum. Nam (ut vides) κλιμακτῆρα communem ſeniorum omnium tertium & ſexageſimum annum evaſimus. Deos autem oro, ut mihi quantumcunque ſupereſt temporis, id ſalvis nobis traducere liceat, in ſtatu Reipub. feliciſſimo ἀνδραγαθούντων ὑμῶν, καὶ διαδεχομένων.

Tametſi verò climactericorum nimis anxia ac ſuperſtitioſa obſervatio Chriſtianum hominem non deceat, multoque minùs eorum metus: tamen è re cujuſque fuerit, eos venientes moderatâ ac circumſpectâ victus ratione excipere, & idoneis medicamentis corpus contra morborum inſultus, quos minitari ſolent, præmunire: quin potiùs ita omnem vitam inſtituere, ac ſi omnes anni climacterici eſſent.

Scire autem, quare ſeptimus quiſque annus vel nonus ætati ſignum imprimat, minimum intereſſe, Seneca lib. 7. de beneficiis cap. 1. affirmat. At Lemnius 2. de occult. natur. miraculis cap. 32. eò id evenire putat, quòd certis annorum periodis corpus humanum ingentem pravorum humorum copiam & veluti ſentinam quandam in intimis viſceribus colligat & coacervet, quorum motu atque agitatione morbi excitentur.

Facilè quidem dictis aſſentior: ſed ma-

net adhuc inexpedita quæſtio, quare humores illi ſeptimo vel nono quoq; anno agitentur ac morbos excitent, intermediis autem tanquam ocioſi quieſcant: quare item annis illis labentibus homines calumniis impetantur; aut facultatum ſuarum detrimentum aliquod perpetiantur; ſicut inter alia incommoda, quæ anni climacterici invehunt, paulò antè Lemnius commemorârat; cujus equidem cauſa in humorum colluvie temerè ponitur. Simus igitur hac in parte contenti, quòd intelligimus hæc ita fieri, etiamſi, cur ita fiant, ignoremus.

De ſeptenarii dignitate & viribus multa leguntur apud Macrobium lib. 1. in ſomnium Scipionis cap. 6.: & Marcus Varro, teſte Gellio lib. 3. noct. Attic. cap. 10, ſeptenarii vires poteſtatesque multas variasque in primo librorum, qui Hebdomades inſcribuntur, eſſe dicit; ubi inter alias pericula quoque vitæ fortunarumque hominum, quæ Climacteras Chaldæi appellant, graviſſima quæque fieri affirmat ſeptenariis.

Idcirco nonnulli ſexageſimitertii ſævitiem & inclementiam ex ſeptenariis deducunt, aſſeruntque, vigeſimum primum discrimine non vacare, tanquam ex ter ſeptem compoſitum. In ternario enim vires quoque eſſe eximias. Cùm autem ſexaginta tria ex ter viginti & uno componantur, eo periculum ſexage-

ſexagiſimitertii anni gravius reddi. De quo vide Petrum Meſſiam Sylvæ variarum lectionum parte 2. cap. 41.

Verùm ad ænigmatis explicationem redeamus. Hoſtes duo vitæ humanæ ſunt ſeptenarius & novenarius. Horum ſinguli inſultant homini diu ſeorſim, ut anno ſeptimo, nono, 14. 18. 21. 27. 28. 35. 36. 42. 45. 49. 54. 56. Tandem anno ſexageſimotertio coëunt & vires ſuas conjungunt. Hunc ſi ſemel evaſero; non erit, cur ſeptenarii & novenarii concurſum ampliùs metuam. Vivendum enim tunc mihi foret uſque ad annum 126. Atqui tantæ longævitatis nec me ſpes ulla tenet, nec cupido.

ÆNIGMA XVII.

Fare age, lanigeræ pecudes ubi gramina carpant,
Cauda quibus plus, quàm cætera, carnis habet?

SOLUTIO.

AUtor eſt Johannes Hugo capite 4. ſuæ navigatiouis, in Moſſambicqua oves magnitudinis inſolentis caudam habere, quæ vaſtitate cæteris ovium partibus æquetur.

Cardanus item lib. 10. de ſubtilitate refert, in calidis regionibus vervecum caudam in immenſum augeri, & adeò quidem, ut à Johanne Leone in Arſincë, Ægypti

gypti civitate, una viſa ſit librarum octoginta; quaſdam autem ad 150 excreſcere.

Scaliger etiam exercit. 199. diſtinct. 2. ait, vervecum caudas ad Tunetum & in Ægypto à decem ad octoginta uſque pondo reperiri, eoque pondere immobiles reddi, niſi caudæ ploſtellis imponantur.

Atque id genus ovium, ploſtellorumque Herodoto quoque notum fuit. Narrat enim in Thalia, eſſe in Arabia duo ovium genera admiratione digna, quæ nuſquam alibi viſantur, quorum unum caudas habeat tam longas, ut non ſint tribus breviores cubitis. Ne autem illæ, ſi per terram trahantur, attritu exulcerentur, paſtores artis fabrilis peritos ploſtella facere, eaque ovium caudis ſubjicere. Alterum autem ovium genus ad cubitalem latitudinem caudas gerere.

ÆNIGMA XVIII.

Dic, quibus in terris palet ſecura luporum,
Pinguiaque eſuriens gramina carpat ovis?

SOLUTIO.

ANgliam naturali quadam antipathiâ nec lupos gignere, nec illatos nutrire, à Sabellico enneadis 10. libro 5. aliiſque traditum eſt. Sed utrunque falſo. Legimus enim in hiſtoria Anglica, Madanum tertium Britannorum regem, cùm ſuis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

multos annos crudeliùs eſſet dominatus, crudelem quoque & calamitoſum exitum habuiſſe: quippe qui, dum feras animi cauſâ agitaret, à feris atque immanibus lupis (quorum tunc magna in Britannia fuit copia) dilaniatus interierit. Hujus item filium Mempritium, quartum Britannorum regem, cùm fratrem ſuum nefariè occidiſſet, in venatu luporum lupis prædæ fuiſſe. Ibidem extat & hoc, quòd Edgarus 3. Anglorum rex, immaniſſimis lupis omnia vaſtantibus, rationem invenerit eos exſtirpandi. Siquidem Ludvallo Walliæ principi trecentos lupos in ſingulos annos vectigalis nomine perſolvendos imperavit. Quos cùm ille tribus annis perſolviſſet, quarto deſtitit, profeſſus, ſe nullum ulterius poſſe invenire.

Philippus Camerarius meditationum hiſtoricarum centuriâ prima cap. 28. ex relatu Philippi Sidnei Viceregis Hiberniæ filii, aliâ, ſed propè ſimili, ratione id contigiſſe narrat. Decretum ſcilicet regium ſuperioribus annis factum, ut ii, qui aliquod delictum non doloſum commiſiſſent, quodque tale eſſet, ut mortis pœna aliqua ex parte mitigari jure poſſet, hoc modo plecterentur, ut tamdiu extorres & infames eſſent, donec aliquot capita vel linguas luporum à ſe interfectorum, quorum numerus pro modo delicti major vel minor imponebatur, afferrent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

& hoc pacto veluti noxam ſolverent, & ſeſe expiarent. Hoc quum aliquot ſeculis obſervatum eſſet; creſcente multitudine delinquentium, tam exquiſitè & lupos & eorum catulos indagatos eſſe, ut cùm lupicidarum plus eſſet quàm luporum, univerſum tandem luporum genus in Anglia interfectum & deletum fuerit. Itaque fabulam eſſe, quòd Anglia lupos non ferat qui hodieque in vivariis magnatum, tanquam raræ beſtiæ, concluſi ſerventur, atque ex vicina Hibernia aliiſque locis importentur.

Cardanus etiam lib. 10. de ſubtilitate Britanniam olim tuliſſe lupos aſſerit; nunc verò exterminatis iis tutò pecus vagari. Contrà Scaliger exercit. 200. non putat omne luporum genus in Britannia venationis operâ ſublatum, quòd immenſi ſint ſaltus. Sed hoc eſt nodum in ſcirpo quærere.

Plinius lib. 18. natur. hiſtor. cap. 58. aſſerit, nec in Olympo monte Macedoniæ eſſe lupos, nec in Creta inſula.

ÆNIGMA XIX.

Quanquam nil valeo, valeo tamen addere vires,
Si cui me ſocio jungere ponè velis.

Circulis

SOLUTIO.

CIrculus ille o literæ figuram habens, quem Arithmetici numerorum notis, quas cifras vocant, addunt, per ſe ſolus nihil valet. At poſt alios numeros poſitus valorem eorum intendit. Nam ſi unitati dextram verſus unus ejusmodi apponatur circulus, facit ut unitas ea decem ſignificet; ſin duo, centum; ſin tres, mille, & ita deinceps. Vulgo dicitur *Nulla*, quod Italis idem valet, quod *niente*, hoc eſt, *nihil*,

---

ÆNIGMA IX.

Si mihi pauca penu de parco alimenta mininiſtres,
Senſim elangueſco: ſin me nutrire laborer
Immodicis, morior: da, quod mediocre, fovebis.

SOLUTIO.

IGnis ille vulgaris, cujus ope frigoris injurias profligamus, cibos coquimus, metalla liquamus, lucem in tenebris excitamus, & id genus alia efficimus, non magis ſine pingui & inflammabili materia, in qua alimentum habeat, eſſe poteſt, quàm claudus ſine ſcipione. Quamobrem Plutarchus in libro *de faciebus in orbe Lunæ*, autor eſt, Poëtas Vulcanum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

num, quem pro ſua ſuperſtitione ignis deum ſive præſidem conſtituerunt, claudum finxiſſe, ut eo figmento ignis naturam adumbrarent.

Sunt autem alimenta ignis ligna, ſtramen, folia arborum, oleum, pix, arvina, ſebum, ſulphur, & quicquid ad flammam concipiendam eſt aptum, hoc eſt, Chymiſtarum ſulphur in ſe continet. Hujus enim beneficio ardere putant, quicquid inardeſcit.

Porrò jam enumerata ignis alimenta, ſi parcâ manu igni ſubminiſtrentur, langueſcit; ſin immodicè, extinguitur: ſervata autem illa, quæ eſt inter nimium & parum, mediocritate, fovetur & conſervatur. Id in lampade quammaximè perſpicuum eſt, quam, oleo deficiente, marceſcere; abundante, extingui; moderatè ſuppeditato, ali videmus. Simile quid & calori innato, in quo omnis vitæ hujus vis poſita eſt, contingit. Nam & ille, ſi parum alimenti ſuggeras, debilitatur; ſi nimium, ſuffocatur; ſin mediocre, conſervatur. Sed Soli lumen inferrem, ſi in hoc diutiùs inhærerem.

Facere non poſſum, quin de Vulcano aliquid addam non incurioſè transmittendum. Hunc Danæus Tubalcaînum, cujus Gen. 4. ℣. 22. fit mentio, fuiſſe ſuſpicatur, ob ſequentes tres conjecturas. Primò quòd paucis literis mutatis ex Tubalcaino fit Vulcanus.

nus. Deinde ſicut poëtæ deorum fabrum fingentes Vulcanum, ſub fabulæ larva veritatem occultant, eumque ferrariæ artis inventorem faciunt: ſic Moſes narrans, Tubalcainum omnem fabrum ærarium & ferrarium erudiiſſe, artificii ærarii & ferrarii eum conſtituit autorem. Præterea Venerem, quæ ſoror & uxor Vulcani à Poëtis dicitur, Noëmam Moſis eſſe vult. Erat autem hæc uxor Lamechi ſororque Tubalcaini. In ſignificatione nominis magna profectò eſt convenientia. Noëma enim, ſi Latinè reddatur, venuſtatem & voluptatem ſignificat, ac ſi Venerem diceres. Reperiuntur hæc partim apud Danæum de prima ætate parte 2 partim apud Auguſtinum de civitate Dei lib. 15. cap. 20. & in Ludovici Vivis commentariis in eundem.

ÆNIGMA XXI.

Martia caſtra adii pedibus ſex fultus, & inde
Subnixus repeto patria rura tribus.
Quàm mallem binos! valeat ternarius iſte:
Non moror, hunc Samius quòd putat eſſe ſacrũ.

SOLUTIO.

QUi eques in militiam proficiſcitur, ſex cruribus iter facit, quatuor equinis & duobus propriis. Idem ſi (ut ſæpe fit) cum equo crurum valetudinem amittat,

tat, domumque pedes ſcipionis adminiculo repetat, tribus incedit cruribus, ut ſenex in Sphingis ænigmate. Mallet autem ille duobus remeare, quàm tribus. Nam ſi id poſſet, cruribus adhuc eſſet integris ac firmis. Ænigma igitur præſens veluti querela eſt militis eam, quam dixi, calamitatem paſſi.

Ad numerum ternarium quod attinet, Pythagoræorum de eo commenta invenies partim apud Macrobium lib. 1. in Somnium Scipionis cap. 6. partim apud Cælium Rhodiginum lib. 12. antiquarum lectionum cap. 9.

ÆNIGMA XXII.

Cur toties cogor corpus ſubmittere ferro,
Pinguedo ut ventris ſit manifeſta mei?
Si merui pœnas (fateor meruiſſe) latronis:
(Innumeros gentis nam necui ipſe meæ:)
Quin me ſupplicio morti demittitis uno?
Cur ſubeo mortis tot ſine morte metus?
Ingenium ut mutem, nihil eſt, vel funere in ipſo
Gauderem digitos vellere dente tuos.

SOLUTIO.

LUcium piſcem in Anglia emptor licetur, convenitque de pretio, modò pinguis ſit. Explorantur interanea, ventris vulnere facto. Si non placeat, aquæ conſutus redditur. Etiam haud conſutum ajunt qui-

quidam; & tamen vulnus conſolidatur, manetque Lucio vita. Quidam id fieri putant in iis piſcinis, in quibus tinchæ ſunt: harum enim affrictu, tanquam ſarcocollâ, coaleſcere vulnus, & quaſi conglutinari. Scaliger ipſum Lucium circumferre ait, quod ferat ſuppetias. Nam & horum carnem glutinoſam eſſe, indicio eſt, quòd, dum inter edendum contrectatur, digiti cohæreſcunt. De quo vide Cardanum libro 10. de ſubtilitate, & Scaligerum exercit. 201.

ÆNIGMA XXII.

Mas me concepit, gravidoque excluſit ab alvo,
Fecerat effœtum quem diuturna Venus.
Aſt animalis erat mihi nondum impreſſa figura,
Nec, quo naſcebar, tempore vivus eram.
Vt verò acceſſere mei fomenta parentis,
Senſim animal fio vivereque incipio.
Innocuos fratres habui innocuaſque ſorores:
Degeneri vis eſt una nocere mihi.
Qui mihi prima dedit vivendi exordia, patrem
An matrem dicam, neſcio; ſcire volo.

SOLUTIO.

GAllum decrepitum ovum intra ſe concipere, atque gallinarum more parere; idque vel ipſummet gallum vel bufones incubatu ſuo fovere, ex eoque baſiliſcum, ſerpentem omnium venenatiſſimum exclu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

cludere, vetus eſt opinio. Haud ergo ineptè baſiliſci fratres & ſorores voco gallos & gallinas, ex ejuſdem galli cum gallina coïtu, ut naturæ fert ratio, productas. Hi ut in uſum hominis naſcuntur, ita baſiliſcus ab illis degenerans, ad nocendum ſolummodò natus videtur, quippe qui ſolo viſu, ſibilo aut halitu citra contactum etiam aut morſum homines internecat. Quoniam verò gallus ovum, ex quo baſiliſcus oritur, in viſceribus interaneíſve ſuis concipit, conceptumque ſuo tempore in lucem emittit, ſuoque incubatu emiſſum fovet, quoad ex eo prodeat baſiliſcus: haud ſanè injuriâ quæſiverit aliquis, ſítne gallus baſiliſci pater an mater dicendus: ſiquidem ſexu pater videtur, partu & incubatu mater. Atque ad hunc quidem modum ſeſe habet ænigmatis ſolutio.

Verumenimverò, haud ſum ignarus, multos eſſe, qui non tantùm huic baſiliſci generationi fidem nullam habeant, verùm ètiam dubitent, an ullus in rerum natura unquam fuerit: proinde non inanem operam me ſuſcepturum ſpero, ſi bonâ fide, quid mihi eâ de re in aliorum ſcriptis legere, vel à viris haud reſpuendæ autoritatis audire vel etiam videre contigerit, recenſeam. In ſacris literis baſiliſci nomen compluribus in locis occurrit, ut Prover. 23. ℣. 32. *Vinum ſicut ſerpens mordebit, & ſicut baſiliſcus dolore afficiet.*

Eſa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Eſa. 11. ℣. 8. *Super foramen baſiliſci manum ſuam extendet.* & 14. ℣. 29. *De radice ſerpentum egredietur baſiliſcus, & fructus ejus ceraſtes volans.* nec non 59. ℣. 5. *Ova aſpidis rumpunt & telas araneæ texunt: qui comederit de ovis ejus, morietur, & quod fractum erit, erumpet in baſiliſcum.* Item. Jer. 8. ℣. 17. *Ecce mitto in vos ſerpentes baſiliſcos, quibus non eſt incantatio.*

Quamobrem non eſt, quod quiſquam putet, baſiliſci nomen inane figmentum eſſe; ſed omnino ſtatuendum, id genus ſerpentum peſtilentiſſimorum ſanctis Prophetis notum fuiſſe. Qualis autem ſerpens baſiliſcus ſit, quæ ejus origo, quæ figura, quæ veneni ratio, tantâ varietate ab autoribus traditur, ut videatur, non idem baſiliſci genus ab omnibus deſcribi.

Plinius lib. 8, cap. 21. narrat, baſiliſcum in Cyrenaica provincia generari, duodecim non ampliùs digitorum longitudine, candidâ in capite maculâ, ut quodam diademate, inſignem; ſibilo omnes fugare ſerpentes; nec flexu multiplici, ut reliquæ, corpus impellere, ſed erectum in medio incedere. Creditum etiam, quondam cùm ex equo haſtâ occideretur baſiliſcus, per eam ſubeunte vi, non equitem modò, ſed equum quoque abſumptum. Præterea baſiliſcum, ſicut & catablepam, eſſe internecionem generis humani; omnibus, qui oculos ejus

vidêre,

vidêre, confeſtim exſpirantibus. De quo tamen ſecus ſentit libro 29. cap. 4; ubi affirmat, baſiliſcum, ſi hominem vel aſpiciat, interimere; additque, olfactu etiam necare.

Solinus Polyhiſtoris ſui cap. 33. poſtremum hoc Catablepæ attribuit. De baſiliſco autem cap. 30. ea refert, quæ ſequuntur. Naſci eum in ſolitudine quadam inacceſsâ, incultâ & ſqualente, quæ Cyrenis à tergo eſt: ſerpentem eſſe penè ad ſemipedem longitudinis, albâ quaſi mitrulâ lineatum caput. Nec hominis tantùm vel aliorum animantium exitiis datum, ſed terræ quoque ipſius; quam polluat & exurat, ubicunque ferale ſortitur receptaculum. Denique extinguere herbas, necare arbores, ipſas etiam corrumpere auras, ita ut in aëra nulla alitum impunè transvolet infectum ſpiritu peſtilenti. Cùm movetur, mediâ corporis parte ſerpere, reliquâ arduum eſſe & excelſum. Sibilum ejus etiam ſerpentes alios perhorreſcere. Et cùm acceperint, fugam quosque, quoquò poſſunt, properare. Quicquid morſu ejus occiditur, non depaſcere feram, non attrectare alitem.

Feſtus ait, baſiliſcum appellari genus ſerpentis, vel quòd in capite habeat album inſtar diadematis, vel quòd reliqua ſetpentium genera vim ejus fugiant.

Ejusdem quoque familiæ baſiliſcum à

Lucano

Lucano lib. 9. denotari, natale ſolum aliæque circumſtantiæ arguunt:

Sibilaque effundens cunctas terrentia peſtes
Ante venena nocens latè ſibi ſubmovet omne
Vulgus, & in vacua regnat baſiliſcus arena.

Quaſi dicat: Baſiliſcus ante venena, quæ morſu immittuntur, ſolo viſu, ſibilo & halitu interimit, fugatoque omni ſerpentium vulgo, ſolus regnat in ſolo arenoſo, ab aliiſque tum ſerpentibus tum animalibus, ipſiſque adeò herbis & arboribus vacuo.

Sed (quod pace tantorum autorum dixerim) ſi aves impunè baſiliſci ſtabulum tranſvolare nequeunt ob aërem ſcilicet halitu ejus malefico infectum; ſi, aut illi, qui oculos baſiliſci ex improviſo aſpexerunt, aut ab eo viſi ſunt, protinus vita exeunt; ſi tantillus eſt, quantillus deſcribitur; ſi in ſolitudine degit inacceſſa: mirum eſt profectò, qui eò aut pervenire, aut incolumes inde redire potuerint, qui ejus longitudinem, albam in capite maculam, inceſſum, & ejuſmodi alia, quorum obſervatio ſine mora fieri nequit, tam accuratè ſunt contemplati?

Certè Paracelſus lib. 3. de origine morborum inviſibilium, hoc argumento, quòd ſolo aſpectu hominem interficiat, permotus, negat cuiquam conſtare poſſe, qua figura ſit baſiliſcus.

Atque huic tali monſtro (ut Plinii verbis

 utar)

utar) muſtelarum virus exitio eſt: adeò naturæ nihil placuit eſſe ſine pari. Injiciunt eas cavernis facilè cognitis ſoli tabe. Necant illæ ſimul odore, moriunturque & naturæ pugna conficitur.

Galenus quoque, in libro de theriaca ad Piſonem, baſiliſci meminit, ſed à Pliniano illo & Soliniano, ſi capitis ornatum ſpectes, differentis. Siquidem ait eſſe beluam ſubflavam, triplici frontis apice inſignem, quæ ſolo viſu & ſibilo homines occîdat; ſique ab aliis animantibus tangatur, ea protinus vita privet; ideoque omne aliarum ferarum genus propinquitatem ejus evitare. Ubi obſerva; triplicem frontis apicem attribui baſiliſco, nulla albæ in capite maculæ factâ mentione. Sed quia jam dictis hæc verba (ut ajunt) Galenus interponit; quis non animadvertit, eum ex aliorum potiùs relatu, quàm propriâ experientia iſta prodidiſſe? Expreſsè id fatetur lib. 10. de ſimplicibus medicamentorum facultatibus cap. 1. ubi ait, ſibi nunquam contigiſſe τὸ βασιλικὸν θηρίον, hoc eſt, baſiliſcum videre; ſique vera ſint, quæ de eo narrantur, periculoſum eſſe vel propiùs accedere.

Aëtius etiam tetrabibli. 4. ſermone 1. cap. 33. baſiliſcum tres apices in capite habentem agnoſcit, alba autem macula inſignitum ignorat. Nec virulentiam baſiliſci ſilentio præterit: & inſuper ab eo percuſſorum

ſympto-

ſymptomata commemorat, quibus mors ſubitanea ſuperveniat. Quapropter etiam vanum & ſupervacaneum ducit, remedia contra eum referre.

At Eraſiſtratus, teſte Dioſcoride lib. 6. cap. ultimo, ad baſiliſci morſum Caſtorei drachmam in vino potam, item papaveris ſuccum auxiliari docet.

En iterum diverſa genera baſiliſcorum. Galenicus viſu & ſibilo interimit, aliaque animalia procul à ſuis præſepibus arcet. Ab Aëtio deſcriptus icit & mortem infert ſubitaneam citra auxilii ſpem. Eraſiſtraticus morſu infeſtus eſt cum auxilii ſpe.

Sed & apud Platinam in vitis Pontificum mentio fit baſiliſci Papæ Leonis quarti orationibus è fornice ſanctæ Luciæ expulſi, cujus halitu & veneno multi mortalium perierint. Ejuſdem & Scaliger meminit exercit. 246. diſtinct. 4. De figura autem ejus, venenique ratione, neuter quicquam exprimit.

Apud nos haud alius baſiliſcus notus eſt, quàm ille, cui ænigma deſtinatum eſt, quem ex ovo à gallo edito naſci, communis eſt opinio. Hunc quoque ferunt tam peſtilentes habere oculos, ut non ſolùm iis exitium afferat, quos ipſe aſpexit, verùm etiam ſibimet ipſi, ſi ſpeculi objectu reflexis oculorum peſtiferorum radiis ſe ipſum intueatur.

Hujuſmodi fuit ille, cujus hiſtoriam D. Doctor Moſanus Archiater Caſſellanus, ſinceræ amicitiæ vinculo mihi conjunctiſſimus, non ita dudum legendam mihi miſit. Ea verò (propriis quibuſdam nominibus, quæ legere non poteram, præteritis) è Germanico in Latinum ſermonem tranſlata ſic habet. Warſaviæ (metropolis hæc eſt Maſoviæ comitiis procerum Poloniæ celeberrima) anno 1587 accidit, ut machæropæi cujuſdam filius vicinique civis filia, quinquennes ambo, cum æqualibus, pro ætatis more ceſſationis impatientes, exercitatione ludicra tempus fallerent, latebraſque in quibus à colludentibus haud facilè invenirentur, quærerent. Fuit haud procul ab eo loco, in quo ludebant, cella quædam ſubterranea, ob incendium, quod ante triginta circiter annos ſuperſtructum ædificium abſumpſerat, deſolata: in quam per ſemiputridos gradus utcunque repi poterat. In eam cum ambo ſe dimitterent, in imis gradibus conciderunt & exſpirarunt. Ut cœnæ tempus appropinquavit, matres de ſuo quæque infante ſciſcitatæ, ecquis ubi eſſent, ſciret; nihil reſciſcere potuere. Itaque uxor machæropœi ancillam emiſit, quæ diu quæſitos in gradibus cellæ, quos dixi, jacere conſpexit, moxque ſic vernacula lingua exclamavit, Bawey tam lezan/ &c. hoc

eſt,

eſt, Ecce, ibi jacent. At verò neutro ſeſe vel minimùm commovente, ſuſpicari cœpit ſomno correptos eſſe, claraque voce nunc hunc nunc illam nominavit, ſi fortè eos expergefacere hac ratione poſſet. Poſtquam verò vel ad ravim clamando nihil ſe proficere, ſed operam ludere animadvertit, ipſa quoque in cellam deſcendit, cogitans, vellicando ſomnum dormientibus, ut opinabatur, excutere. Quid fit? protinus & ipſamet juxta infantes concidit & extinguitur. Ingredientem in profunda cellæ ancillam hera fuerat conſpicata. Ut verò eam diutiùs æquo morari videt,

Nec revocare gradum ſuperaſque evadere in auras,

attonita ad cellam accurrit, ancillamque cum infantibus humi proſtratam cernit. Itaque & ipſa clamorem edit, altaque voce modò infantes modò ancillam appellat. Quum verò & hoc incaſſum fieret, neque jacentium quiſquam aut reſponderet, aut ſeſe commoveret, exanimatos eſſe colligit. Extemplò fit rumor, cives concurrunt, nec tamen quid facto opus ſit, ſciunt, donec de triſti hoc caſu ad conſules & ſenatum referretur. A quibus mandatum, ut cadavera uncis incendiariis extraherentur. Ea extracta tympani inſtar turgebant, labia & linguam tumor obſederat, color erat fuſcus, oculi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

extra ſuas cavernas ad dimidii ovi gallinacei magnitudinem prominebant. Acceſſit ad triſte hoc ſpectaculum, conſulis rogatu, Palatinus N. & ſenex quidam Archiater Regius Benedictus nomine. Hujus conjectura fuit, ſerpentem veneni præſentiſſimi in deſerta illa cella ſtabulari, cujus pernicioſo halitu aër in ea concluſus inquinetur; eum autem infirmam hominis naturam perferre non poſſe. Quamobrem credibile eſſe, hunc infantibus & ancillæ exitium attuliſſe. Fieri etiam poſſe, ut ibi latibula habeat baſiliſcus, quem naturæ rerum indagatores ex ovo galli à bufonibus excluſo naſci perhibeant, cujus tanta ſit virulentia, ut, qui in oculos ejus offenderint, ſubitò moriantur. Interrogatus, quâ ratione rei veritas explorari queat; reſpondit, eſſe aliquem in cellam mittendum, eumque circumquaque ſpeculis averſis muniendum. Baſiliſcum enim, ſi ſuam ipſius imaginem videat, protinus emori. Fuere illic ſub id tempus duo rei capitis ſupplicio intra triduum afficiendi; quorum alter Polonus, alter Sileſius; atque huic nomen fuit Johanni Jaurero. His conditio oblata eſt, uter eorum in cellam deſcendere, ſerpentemque illum venenatum venaretur & quæreret, ei capitis ſupplicium remitteretur. Conditionem Johannes ſtatim accepit. Itaque toto corpore

corio

corio indutus eſt; perſpicilia aculis obligata, quæ viſum tamen haud impedirent; una manus inſtructa ferreo rutabulo; altera face ardenti; denique cunctis corporis partibus antè & retrò ſpecula annexa fuere. Sic adornatus cellam ingreſſus eſt, ſpectantibus plus quàm duobus hominum millibus. Poſtquam verò per horæ ſpacium omnes cellæ rimas omnesque angulos perquiſiviſſet, neque ſerpentem ullum inveniſſet, ut alia nova fax in cellam dejiceretur, poſtulavit. Eſſe enim juxta cellam, in qua erat, aliam, ſed aditum ruderibus eſſe intercluſum, operam daturum ſe, ut in eam ingreſſum ſibi paret. Dum verò id agit, oculos fortè ſiniſtrorſum flectit, & diu quæſitam beſtiam gallinæ figurâ in quodam muri foramine jam exanimatam jacere ex inopinato conſpicit. Quod, cùm iis, qui foris erant, clamore ſignificaſſet, Archiater monuit, ut ferreo rutabulo ſublatam è cellæ tenebris in apertam lucem exportaret: idque ilicò in oculis atque congregatione magnæ hominum multitudinis factum. Archiater beſtiam viſam baſiliſcum protinus judicavit. Magnitudo ei mediocris gallinæ: capite ad galli Indici figuram acceſſit; criſtâ coronæ æmulâ, partim flavo, partim cæruleo colore conſperſâ; palearia eodem modo colorata fuere. Dorſum habuit multis maculis eminentibus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

oculoſque bufonum aſſimilantibus conſitum, interjectis paſſim coloribus virulentorum animalium, ut plurimùm autem flavo. Iidem colores alas quoque extrinſecus occupaverant. Sub alis totus flavus fuit, nec non ſub ventre, ubi tamen flavo cæruleum & viride aliique miri colores interpoſiti fuere. Cruribus fuit oblongis, galli cruribus ſimillimis, Cydoniorumque malorum flavedine proximis. Ante & poſt hæc crura utrinque duo alia prodierunt, bufonum cruribus & brevitate & figura reſpondentia. Cauda illi fuit incurvata ac ſurſum reflexa, maculiſque ſuperiùs, quales in dorſo emicuiſſe diximus, plena; inferiùs flava, in extremo bufoni concolor. Quæ dicta ſunt, verè ita eſſe geſta, teſtatur Chriſtophorus à Lottitz, olim apud illuſtriſſimum Electorem Brandeburgenſem vigilum magiſter, tanquam αὐτόπτης, & primæ notæ teſtis. Hactenus hiſtoria, cujus à D. Moſano copia mihi facta eſt.

Viennæ in Auſtria haud multum diſſimilis figuræ fuiſſe baſiliſcum, vir quidam probæ fidei mihi recenſuit, in ejuſque rei memoriam baſiliſci imaginem in domus cujuſdam pariete extare in eâ plateâ, qua à palatio Abbatis ad ſanctam Crucem Archigymnaſium verſus itur. Plures autem circumſtantias aliis rebus intentus nec obſervavit, nec exponere mihi potuit.

Re-

Revertur etiam à Georgio Agric. in lib. de animant. ſubterraneis, Zuiccæ baſiliſcum in quadam cella ſubterranea, multis hominibus exitioſum, ferales ſuas latebras habuiſſe, ideoque dominum cellæ fores obturaſſe muroque ſepſiſſe. Atque hunc ex eorum fuiſſe genere, quos vulgus ex ovo galli provenire credit. Non exprimit tamen, viſúne an halitu maleficus fuerit. Hujus baſiliſci picturam adhuc in muro illius cellæ ſpectari, atque à ſe ſæpe viſam, reverendus vir Doctor Paulus Crocius Zuiccavienſis, hoc tempore verbi divini apud Laſphenſes miniſter, Dillebergæ in complurium doctorum virorum teſtatus eſt præſentia.

Tametſi verò quamplurimi ſint, qui cùm audiunt, à gallo annoſo ovum concipi, in lucem edi, incubari, ex eoque baſiliſcum gigni, fabulam ſibi narrari ſuſpicentur; in quorum albo ſunt Albertus Magnus, Thomas Eraſtus, Rollenhagius, aliique reperiuntur tamen viciſſim, qui autoritatem & fidem huic rei adjungunt, partimque propria experientia, partim teſtibus idoneis nixi, haud vanam eſſe aſſerunt hac de re famam.

Levinus Lemnius libro 4. de occultis naturæ miraculis, cap. 12. affirmat, gallum in initio decrepitæ ætatis, ſeptimo puta, nono, aut ad ſummum decimoquarto anno, pro virium vel robore vel imbecillitate, aut

etiam coëundi conſuetudine, ovum proferre æſtivis menſibus ſub caniculæ exortum, ex putrefacto ſeminis excremento, aut humorum colluvie conflatum, formâ non oblongâ vel ovali, ut gallinis aſſolet, ſed rotundâ atque orbiculatâ, colore non ſemper uno, ſed modò luteo, modò buxeo, modò flaveſcente, modò verſicolore, modò lurido.

Mihi ex Polonia in Haſſiam anno 1581 redeunti, & in tranſitu Erphordiæ prandenti, ab hoſpite monſtratum fuit ovum ejuſdem cum ovo gallinæ magnitudinis, coloris & figuræ, præterquam quòd uno apice turbinatum erat cochleæ ſpecie, quod ille dejerabat à grandævo gallo genitum. Viderunt idem & contrectarunt comites itineris Poloni & Sileſii.

Doctor Jacobus Moſanus ſuperioribus diebus vivendi gratia ovi corticem mihi miſit oblongum, æquabili ferè ad apices uſque craſſitie, haud multò longiorem noſtratium gallinarum ovis, ſed minùs craſſum, tum etiam in medio nonnihil incurvatum, quod anno 1599. menſe Auguſto Sontræ in Haſſia in capi ventre natum, ab eoque editum, & in nido poſitum erat. Hic capus multis diebus antè glocitantis gallinæ vocem emiſerat, & poſtea etiam in nido ſuper ovo incubatui operam dans deprehenſus fuerat. A præfecto loci, viro & generis nobilitate & lite-

literarum cognitione præſtantiſſimo, Bernhardo Keudelio, ejus rei admiratione ducto, tandem Caſſellas miſſus fuit; ubi in præſentia aulicorum medicorum, Doct. Jacobi Moſani & Doct. Hermanni Wolfii, diſſectus, ovi receptaculum conſpiciendum exhibuit. Ex ipſo autem ovo, cùm flatu utroque apice pertuſo evacuaretur, nihil præter humorem albumini communi & colore & odore & conſiſtentiâ ſimilem effluxit. Eundem corticem cùm ego paſſim ceu rem raram oſtentarem, indicatum mihi fuit, nobiliſſimi viri Philippi à Selbach, aulæ Dillebergenſis præfecti, villico gallum complurium annorum fuiſſe, qui itidem ovum peperiſſet. Id an ita ſe haberet, cùm ab ipſomet villico ſciſcitarer, ajebat: gallumque annorum circiter novem, ovum oblōngum & candidum, ſed gallinaceo tenuius fuiſſe affirmabat. Cùm ovi à capo progeniti imaginem pictam, quam tunc circumferebam, videret, rogaréturque nunquid illi ſimile fuiſſet, cum aſſeveratione annuit.

Inane eſt, hoc argumento jam dictorum teſtium fidem elevare velle; quia Lemnius ova gallorum non unius coloris facit, figuræque non oblongæ, ſed rotundæ: cùm è contrario à me enumerata alba fuerint & oblonga, diſparis tamen craſſitiei, nec ſimilis per omnia figuræ. Siquidem

 materiæ,

materiæ, unde exiſtunt, receptaculorumque, in quibus efformantur, diverſitas diverſum etiam tum colorem tum figuram ovis imprimit. Pari ratione etiam excuſare licet, quòd autor libri de natura rerum, ovo galli non teſtam, ſed pellem attribuit, eamque tam firmam, ut ictus vel validiſſimos ſuſtinere queat.

Conradus Urſinus civis & ſenator Herbornenſis, menſe Octobri anni præteriti 1604, Doctori Antonio Matthæo Juriſconſulto Herbornenſi, & mihi videndum præbuit ovum colore candidiſſimum, gallinaceo minus, unâ ſui parte quaſi ventrem habens amplum, altera collum anguſtum & longum, in medio incurvatum & reflexum, ad modum vaſis deſtillatorii, quod Chymiſtæ retortam vocant. Quam figuram ovum non aliunde ſortitum, quàm à receptaculo, in quo efformatum fuit, ſuſpicati ſumus. A gallo editum putabat ille quidem, ſed pro certo tamen affirmare dubitabat.

De incubatu quoque diſcrepantes ſunt opiniones. Autor libri de natura rerum, affirmat, gallum in fimo calido ponere ovum, idque ejus calore foveri, inde produci genus quoddam baſiliſci. Vulgus à bufonibus incubatum perfici credit, nonnulli à ſerpentibus; de quibus præter aliorum generalem aſſertionem nihil habeo. Itaque utcunque

æſtimata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

æſtimata erunt, in nullo ponam diſcrimine. Nec deſunt, qui incubantis partes ipſummet gallum obire putant, cujus rei exempla habemus in promptu.

Levinus Lemnius libro ſuprà citato refert, ſua memoria in urbe Ziriz æa, ejuſque inſulæ ambitu, duos annoſos gallos ægrè etiam fuſtibus ab ovi incubatione abigi depellique potuiſſe. Itaque quoniam cives eam perſuaſionem concepiſſent, ex hujuſmodi ovo baſiliſcum emergere, ovum eos contriviſſe & gallos ſtrangulaſſe.

Teſtatur etiam Bernhardus Keudelius, capum, de quo ſuprà diximus, ſuo ovo incubaſſe, non ſecus atque gallinæ ſolent.

Quòd verò ex iſtiuſmodi ovo, quacunque ratione foto, baſiliſcus generetur, licet nullis hiſtoriis comprobare poſſim; tamen, cùm incubatum illum non eſſe fruſtraneum, credibile ſit, accedatque inſuper tot autorum conſenſus; facilè in eam adducor ſententiam, eos hac de re non omnino falſa ſcripſiſſe, præſertim, cùm magnam iſtiuſmodi baſiliſcus cum gallo ſimilitudinem habeat, ut ex hiſtoria ſuprà poſita apparet, autorque de natura rerum affirmet, baſiliſcum, qui ex gallo naſcitur, caudam habere, ut coluber, reſiduum verò corpus, ut gallus.

Nobiliſſimus ac ſtrenuus vir Caſpar-Magnus Schenck von Schweinsburgh / hæredi-

reditarius Illuſtriſſimorum Haſſiæ Principum pincerna anno 1603. menſe Octobri ad me ſcripſit, in agnati ſui Johannis-Georgii ſtabulo equis ruricolis deſtinato Schweinsburgi à ſervo, cum equis ab adaquatione reverſo, repertum ovum gallinaceo per omnia foris ſimile, uno tamen perforatum apice, per quem cauda digiti longitudine exierit viva adeoque agilis, ut ovum ſuper terrâ volutârit & huc illuc compulerit. A ſervo autem rei novitate obſtupefacto vocatum nobilem dominum, qui & ipſe viderit, prætorique & civibus quibusdam monſtraverit, iis placuiſſe, ut ovum aperiretur, atque hoc facto caudam moveri deſiiſſe. In ovo conſpectum corpus reptilis figuram imperfectam & rudem præ ſe ferens.

Ex ejusdem nobilis relatu accepi, quamdam ejus conſanguineam, cujus nomen quidem mihi expreſſit, ego verò memoriæ pariter impreſſi, cùm ova gallinacea (neſcio, cujus edulii conficiendi gratia) quaſſaret, in ovo quodam patefacto vermen lacertæ ſimilem inveniſſe.

Sed longè mirabilius eſt, quod annotavit Pareus lib. 24. ſuæ chirurgiæ de monſtro in ovo reperto, cujus effigiem appoſuit his verbis adjectis. *Quod hic appictum cernitur monſtrum, medio intimoque in ovo compertum eſt, facie quidem humanâ, ſed capillitio colubris*

colubris undique horrente: mentum ipſi tribus aliis colubris vibratis velut barba herminabat. Conſpectum primùm eſt Auguſtoduni in ædibus Bancheronis cauſidici, dum ancilla ova multa frangeret butyro incoquenda. Ovi illius albumen feli exhibitum, repentinam mortem intulit. Id demum monſtrum in manus Baronis Senecii cùm veniſſet, ad Carolum nonum Regem Metis agentem perlatum eſt.

Accedit ad hæc, quòd Albertus Magnus in Tractatu de lapidibus & gemmis ſcribit, narraſſe ſibi quendam nobilem potentem, à quodam ſuorum ruſticorum ſe accepiſſe ovum, minoris quantitatis quàm gallinæ, in cujus teſta figuratus fuerit ſerpens criſtatus & alatus, habens pedes ut gallus.

Atque hiſce tot teſtimoniis ſatis ſuperque probatum confido, non merum eſſe figmentum, quod de ovo galli decrepiti & baſiliſci ex eo generatione ſermonibus populi frequentatur; nec ulla me tenet dubitatio, pluribus teſtimoniis idem confirmari poſſe, quæ aliis nota ad meas aures haud pervenerunt. Credendi interim hæc neceſſitatem nec imponere cuiquam volo nec poſſum. Mihi ſatis eſt, quicquid horum commemoravi, optimâ fide commemoraſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA XXIV.

In Veſtæ genitum gremio Vulcania fingit
Me vis,& mœcho fictum dat habere Gradivo.
Nil aliud venter meus eſt,niſi longa caverna:
Altera pars cujus patet & vice fungitur oris:
Altera ſed clauſa eſt, nec quicquam emittitur illâ.
Eſca mihi nitrum,carbones,ſulphura,ſaxa,
Et plumbum & ferrum,quæ ventre accepta capaci
Igneus ut tetigit fervor, (nam caſſa caloris
Sum proprii) ſubitò revomo, tantoque ſcreatu
Ejicio, ut tellus concuſſa tremiſcat & æther.

SOLUTIO.

HOc ænigmate tormentum bellicum ſive bombarda ſignificatur, cujus materia,ſive ſit ferrum, ſive æs, in gremio Veſtæ, hoc eſt, viſceribus terræ, generatur. Nam, ut Ovidius ait lib. 6. Faſtorum,

Stat vi terra ſuâ, vi ſtando Veſta vocatur.

Porrò ex ære vel ferro vis Vulcania, hoc eſt,faber,vi ignis,cui poëtæ Vulcanum præfecerunt,bombardam format,eamque Marti, qui & Gradivus dicitur, conſecrat. Is quare Mœchus dicatur, fabula 5. libri 4. metamorph. docebit. Bombarda autem ſic efformata eſt, ut oblonga ſit & recta atque concava, unum habens orificium, per quod imple-

tur

tur pulvere pyrio, globiſque ſuperimpoſitis. Pulvis ille fit ex nitro, carbonibus & ſulphure, cujus autor medicinam quærens, hanc humani generis peſtem invenit: ideoque teſte Polydoro Virgilio lib. 2. cap. 11. id pręmii loco accepit, ut nomẽ ejus perpetuò ignoretur.

Munſterus tamen Coſmographiæ ſuæ lib. 3. cap. 135. inventorem pulveris pyrii facit monachum quendam Moguntinum, cui nomen fuerit Berchtoldo Schwartz / hoc eſt, Nigro. De quo epigramma annis ſuperioribus luſi, quod clariſſimum virum Dn. D. Philippum Camerarium centuriæ ſecundæ meditationum ſuarum hiſtoricarum inſerere dignatum eſſe lætor. Tale autem eſt:

Dum parat humano generi Chymiſta medelam,
Sulphura Mulciberis vi ſale mixta coquens;
Mulciber oſtendit mortalibus acre venenum,
Quo nullum leto corpora plura dedit.
Quæ latuere alios, Munſterus nomina ponit,
Berchtoldumque vocat nomine reque Nigrum.

Quo epigrammate innuo, medicamentum, illud, quod chymicarum præparationum peritus aliquis conficere voluerit, fuiſſe flores ſulphuris, eumque loco ſalis ſalnitri ſumpſiſſe. Paratur enim medicamentum illud ex ſale aliquo & ſulphure mixtis, & cucurbitæ fictili impoſitis, quibus ignis ſubjicitur: de quo alibi pleniùs dixi. Paracelſus libro de rebus naturalibus cap. 4. quem de ſale ſcripſit,

ſcripſit, refert, daß vorzeiten Salniter allein zur Alchymey und handgriffen gebraucht ſey: In welchem ſich begeben / daß ſie ſulphur und ſalniter mit einander zu deſtilliren vermeint: Aber es hab nit mögen ſeyn von wegen der ungeſtümmigen bewegung / durch welches nachfolgend mit der addition der kolen der Alchymiſtiſche geiſt das büchſenpulver erfunden / und alsdann daſſelbig je lenger je baß erfundigt / biß dahin kommen iſt / als man ſihet / daß maurn zerbricht gleich dem donnerſtraal.

Ad globos quod attinet, qui injecto pulveri ſuperimponuntur, ii ut plurimùm plumbei & ferrei, interdum etiam lapidei ſunt, niſi incendere aliquid animus eſt, in quem finem ex materia fiunt ad incendium habili. Incenſus autem pulvis ſubitò igneſcit (unde & pyrius dicitur, ἀπὸ τοῦ πυρὸς) ſpaciumque amplius quærens globum cum maximo impetu atque fragore expellit.

Quo tempore primùm in uſum venerint bombardæ,

Hiſtorici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Polydorus Virgilius libro paulò antè citato teſtatur, Venetis innotuiſſe in illo bello, quod ad foſſam Clodiam cum Genuenſibus geſtum fuit anno ſalutis 1380. Sed antiquiores eſſe, Munſterus ex literis Achillis Gaſſeri medici Auguſtani probat, quippe in mari Danico anno 1354. uſurpatas. Antiquiores

tiquiores etiam facit hiſtoria Alphonſi Regis Caſtiliæ, qui Algazaram obſedit & occupavit anno 1343. Item hiſtoria alterius Regis Alphonſi, qui Toletum cepit longo antè intervallo, ut refert Petrus Meſſias Sylvæ variarum lectionum parte 1. cap. 9.

Johannes Hugo Linſcot. navigat. ſuæ cap. 24. tormenta pulveremque tormentarium Chynenſibus ante aliquot ſecula nota fuiſſe ſcribit. An verò diverſis in locis diverſos habuerint autores, ſicut aliæ quoque res ad diverſos inventores referuntur: an in Germania inventa, & in illas deinde regiones, quod variis modis fieri potuit, artificium illud tranſportatum fuerit, ſuſque deque habeo. Hoc certè ſeculo bellicis tormentis Chyna, aliæque regiones in illo tractu ſitæ, adeò abundant, ut in civitate Jor, anno 1587 à Luſitanis capta, 1500 tormenta ex ære diverſæ magnitudinis, imaginibus floribuſque admodum ſcitè exornata, reperta fuerint, ut teſtatur Johannes Hugo cap. 19. At capite 92. tormenta 2500 in Jor prædæ Luſitanis fuiſſe legitur, quorum numerorum diſcordantia alterum mendoſum eſſe arguit.

Oſorius de rebus geſtis Emanuelis Portugalliæ Regis lib. 7. Malacæ regem, cùm ea urbs ab Albuquercio anno 1511 occuparetur, novem millia tormentorum partim æneorum, partim ferreorum, in munitionibus habuiſſe, prodit.

ÆNIG-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA XXV.

De cornu thorax mihi dorſum & pectora munit:
Nulla autem vertex tegmina nudus habet.
Sed cùm præſentis terret formido pericli,
Pro galea thorax eſt, operitque caput.
Armatura gravat corpus, greſſumque moratur,
Abſque hoc militiæ forſitan apta forem.

SOLUTIO.

TEſtudinem hæc fari tibi imaginare. Ea ſuperiùs & inferiùs cortice tegitur corneo, duobus foraminibus pervio, per quorum alterum caput & crura anteriora, per alterum cauda & crura poſteriora prodeunt. Caput nudum eſt, quod ſub corticem ſuum ſubducit, quoties periculi aliquid metuit. Quo tempore crura & caudam contrahit, hac una ſagacitate ad ſeſe defendendum inſtructa.

Plinius lib. 9. cap. 10. refert, Indicum mare tantæ magnitudinis teſtudines emittere, ut ſingularum ſuperficie habitabiles caſas integant, atque inter inſulas rubri præcipuè maris his navigent tanquam cymbis. Earundem putaminibus in Taprobane inſula & in Carmaniæ angulo, quem Chelonophagi incolunt, familias habitantium contegi, idem lib. 6. cap. 23. & 24. affirmat; idque à Solino quoque cap. 56. de iis, quæ

ad Taprobanen capiuntur, traditum eſt, additumque numeroſam familiam non arctè receptare.

Sed videamus, quid recentiores & primæ quidem notæ teſtes de grandibus teſtudinibus annotaverint. Bellonius lib. 1. de aquatilibus refert, ſe omnium maximas in portu Torræ rubri maris civitatis vidiſſe; tantaſque ut earum teſtæ vanni bene magni longitudinem ac latitudinem exæquarent.

Lerius hiſtoriæ navigat. in Braſiliam cap. 3. in navi Boïſiana teſtudinem tantæ magnitudinis captam ſcribit, ut octoginta hominibus, quos navis acceperat, more nautico prandentibus largè ſuffecerit. Ejus autem ſuperiorem teſtam ovali fuiſſe effigie, & latam duos pedes cum dimidio, datamque Mario centurioni, ut eâ clypei vice uteretur. Iiſdem pro ſcutis uti accolas freti Magellanici & fluminis argentei, autor eſt Thevetus. Quod citiùs crediderim, quàm cruſtas caſeorum, medullâ exemptâ, quibuſdam Septentrionalibus populis vicem ſcutorum præſtare, ut narrat Olaus Magnus hiſtor. ſept. libr. 13. cap. 8.

Vidi Herbornæ corticem teſtudinis ſuperiorem duorum pedum latitudine & trium longitudine, quem Illuſtris ac Generoſus Dominus Wilhelmus Comes Solmenſis, ceu clypeum argenteis ſpintheribus paſſim ornari

ornari curabat. Obſervavi in ejus parte concava aliquot ſpinæ dorſi vertebras immobiles prorſus,atque ſic ipſi cortici adnatas, ut continuum corpus cum eo conſtituerent. Nimirum quia dorſum teſtudinis ſub corticis latebris immobile eſſe oportuit.

Ad Taprobanam inſulam teſtudines marinas tam grandes eſſe ſcribit Scaliger ut una centum tria pondo pependerit. Hæc omnia probant, eſſe iſtis in locis inuſitatæ magnitudinis teſtudines, hoc eſt, noſtratibus longè majores; ſed Plinio ſingularum ſuperficiem habitabiles domos facere affirmanti nullam fidem afferunt.

Præterire non poſſum fabulam à Scaligero exerc. 196. diſtinct. 2. poſitam. *Narrant*, inquit, *appetente nocte, viatori locum aliquem à feris tutum captanti oculis, viſam teſtudinem, quam tumulum ratus (muſco enim obſita erat) conſcendit, atque in excubiis aliquandiu fuit. Somno deinde oppreſſus: ubi noctis & quietis idem finis fuit: & ille ſeſe aliis in locis) proceſſerat enim illa) eſſe intellexit: percepta beſtiæ facie, admirationem cum ſcientia novæ naturæ commutavit.*

Clauſulæ loco addo, inauditum antiquis teſtudinis genus in Turciam è longinquis regionibus afferri, cujus teſta rara & pellucida, Chryſolithi colorem æmulatur. Ex hac Turcæ cultellorum manubria efformant;

mant; eaque in tanto pretio habent, ut clavis aureis exornare non dedignentur: de quo lege Bellonium libro 1. de aquatilib. & lib. 2. ſuarum obſerv. cap. 114. ubi iſtiusmodi teſtudines, Indicas appellat, tanquam ex India allatas.

ÆNIGMA XXVI.

Corporis alterius licet è putredine naſcar,
Inque meo innumeri naſcantur corpore vermes:
Res alias tamen à putredine vindico: & ipſis,
Quos tetigiſſe datur, ſum vermibus acre venenum.

SOLUTIO.

ACetum ex vino, certâ quadam putrefactione corrupto, naſcitur. Putreſcit autem vinum & corrumpitur, quando externus calor aëris, vini calorem internum exſolvit, parteſque ejus igneas & aërias diſſipat. Tunc enim veluti emoritur & in acecum degenerat. Unde non defuerunt, qui acetum vinum mortuum appellarent, ut videre eſt apud Galenum lib. 1. de ſimplic. medicam. facultat. cap. 19. Eademque de cauſa fit, ut acetum nunquam ad vini habitum naturamque redire poſſit.

Veram eſſe hanc aceti generationem, ex eo liquet, quòd acetum frigidioris & ſiccioris eſt temperamenti, quàm ipſum illud

illud vinum, ex quo factum eſt: nimirum quia devictus eſt calor vini nativus ab externo; quæ perfecta eſt ratio & natura putredinis, aſſertore Brunone Seidelio de Laurentii Jouberti paradoxo 2. decadis 3. Atque hinc illud quoque fit manifeſtum, cur vina imbecilliora atque frigidiora faciliùs in acetum vertantur, quia ſcilicet caloris interni parum habent. Exiguus autem calor internus à multo externo facilè diſſipatur.

Audiamus ſuper hac re Horatii Augenii judicium, quod libro 8. epiſtolarum & conſultationum medicinalium in epiſtola ad Ludovicum Pichinum his verbis comprehenſum invenies. *Aciditatis cauſa continens frigiditas eſt; nam omne acidum refrigerat: æſtivus tamen calor acorem invehit, ut oſtendit vinum, quod in aceti naturam tranſmutatur. Calor quidem agens in vinum ad ſe trahit calidiores tenuioreſque vini partes; quibus exhalando conſumptis, fit acetum.* Ad quod confirmandum Galeni adducit autoritatem ex lib. 4. de ſimplicibus medicam. facult. cap. 12. ubi ſic ait: *Porrò quòd aciditas à frigore procreetur, antea quoque oſtendimus.* Quòd verò poſtea à calore externo aciditas generetur, exponit hiſce verbis cap. 13. *At in acidis deeſſe fortaſſis etiamnum videatur, quod eximios quoſdam medicos fefellit. Nam eo quòd vina invalida vere atque æſtate alterentur atque aceſcant;*

aceſcant; hyeme verò ſuas ſervent qualitates: hinc adeò quibuſdam à calore aciditatem naſci viſum eſt. Capite autem 14. exponit cauſam, ob quam à calore æſtivo fiat aciditas, dum ſic ſcribit: *Quippe cùm ita comparatum ſit, uti res quælibet in propria ſervetur natura calore proprio: corrumpatur autem ab immoderatione externâ, nempe caloris alieni aut frigoris abundantiâ.* Quibus oſtendit Galenus, calorem immoderatum aciditatem facere. Nam & antè eodem capite dixerat: *Perſimile eſt, quod vinis accidit, quæ natura frigidiora acidioraque ſunt, quale flammis exiguis atque imbecillis; quippe ſi eas ad Solem fervidum exponas, aut prorſus obſcurari, aut denique etiam exſtingui cònſpicies. Sic etiam ſi ardentem lucernam aut juxta flammam vehementem, magnamque deponas, aut ad Solem fervidum exponas, marceſcere utique ac diſſipari protinus videbis,*

Atque hactenus de aceti ex putreſcente vino generatione, quæ primo verſu adumbratur: nunc de vermibus dicendum, quorum verſu ſecundo incidit mentio. Hi ſine dubio unà cum aceto ex eadem vini putredine naſcuntur, ſicut in aliis quoque rebus contingit. Quòd verò acetum vermibus ſcateat, ipſemet non ſemel vidi, & cuilibet experiundum relinquo. Sunt exigui, albi, oblongi, natantque per omnes aceti partes, ſic tamen, ut interim ſuperiora magis occupent,

quàm inferiora. Qui cernere eos avet, aceto recenti vitrum pellucidum ad ſummum uſque repleat, poſtea Soli exponat, & certatim videbit vermiculos illos orificium verſus eniti, ubi congregati vel cochleari auferri poſſunt, vel ad redundantiam aceto affuſo eò redigi, ut ſponte effluant.

Ad reliqua quod attinet, in vindicandis à putreſcendo rebus, quò durent diutius, ſali viribus proximum eſſe acetum uſu conſtat, & inſuper à Levino Lemnio lib. 2. de occultis naturæ miraculis cap. 36. literis mandatum eſt. Nec ignotum, ſi alii vermes aceto injiciantur, eos aceti acrimoniâ, quam tolerare nequeunt, actutum enecari. Quapropter etiam auribus, vermium, qui in illis interdum naſcuntur, interimendorum gratia inſtillari, Dioſcorides libro 5. cap. 17. prodidit. Reſiſtere etiam acetum putredini peſtilenti, tam potu quàm olfactu, lippis & tonſoribus notum eſt.

ÆNIGMA XXVII.

Venarum reſero clauſas, & rurſus apertas
Obſtruo; ut alterutrâ morbus egebit ope.

SOLUTIO.

SErapio de medicamentis ſimpl. cap. 201. & de iiſdem Meſue de medicinis benedictis cap. 1. aloën affirmant aperire ora

ora venarum, & maximè earum, quæ in ano ſunt.

Contrà Dioſcorides lib. 3. de re med. cap. 2. ei vim ſanguinis ejectiones, hæmorrhoidumque abundantiam ſiſtendi attribuit. Et Plinius lib. 27. cap. 4. ait, aloën ſanguinis exſcreationes, ſi modicæ ſint, drachmæ pondere ex aqua; ſin minus, ex aceto potam ſedare; vulnerum quoque ſanguinem undecunque fluentem ſiſtere per ſe, vel ex aceto. Aliâs etiam vulneribus eſſe utiliſſimam, quippe quæ ad cicatricem perducat. Eandem inſpergi exulceratis genitalibus virorum, condylomatis rimiſque ſedis, aliâs ex paſſo, aliâs ſiccam, prout exigit mitiganda curatio vel coërcenda. Hæmorrhoïdum quoque abundantiam leniter ſiſtere. Galenus etiam lib. 6. de ſimpl. medic. facultat. c. 25. aloën dicit eſſe medicamentum, quod ſinus glutinet, ulceraque ſanet, quæ ægrè ad cicatricem duci poſſunt, & maximè, quæ in ano ſunt & pudendo.

Horum igitur exiſtimatione impulſi, Johannes Manardus, Johannes Baptiſta Theodoſius, Leonhardus Fuchſius & Franciſcus Valleſius, erroris Serapionem & Meſuen inſimulare audent: quorum ſententiam doctiſſimi viri noſtræ ætatis non tantum approbarunt, verum etiam apertè defendendam ſuſceperunt, ut Jacobus de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

partibus, Sebaſtianus Montuus, Jacobus Sylvius aliique.

Fallopius in tractatu de ſimplicibus medicamentis purgantibus cap. 2. docet, ſi longo tempore exhibeatur aloë, egredi ſanguinem per hæmorrhoïdes. Fernelius lib. 5. method. med. 7. eandem ſcribit omnes omnium viſcerum obſtructiones adeò validè ſolvere, ut & venas corrodat, & earum oſcula crebiore uſu reſeret, ad ſanguinis emanationem uſque. Nec non Scaliger ad Cardanum exercitat. 160. diſtinct. 3. perhibet, omnibus iis, quos hæmorrhoïdum fluxui obnoxios medicâ tractatione commendatos habuerit, vel minima aloës particula ſumpta venas illas ilicò tumefactas aut diductas fuiſſe. Quapropter etiam cruda ſeſquidrachmæ pondere exhibetur fœminis menſium ſuppreſſione laborantibus. Patefactis enim venis, per quas fluere ſolent, eorum promovet fluxum.

Egomet non ita dudum experimento didici, aloën illas etiam venas, quæ in pectore ſunt, aperire. Nam cùm ſtudioſus quidam febricitans, febris abigendæ gratia aloës ſeſquidrachmam devoraſſet, mox ſanguinem ſputare & exſcreare cœpit; quem poſtea ut compeſceremus, & venæ ſectione & medicamentis opus fuit.

Sed non obſtare dicunt, quòd interdum aſſum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

aſſumptâ aloë ſedis venas aperiri cernamus: id enim aloën non per ſe, ſed ex accidenti facere; quòd humores, qui ſua acrimonia venas illas recludant, eò moveat. Id quod & alia medicamenta poſſint, teſte Galeno 6. Aphor. comm. 47.

Quaſi verò, quoties pharmacis acres humores educuntur, ſtatim ſedis venæ aperiantur. Audi Scaligerum. *Quid violentius eſula & lathyri & peplio? Nullas aperiunt venas. Turbith non aperit. Mulieribus duabus, quibus Turbith, Hiſpani medici præſcripto datum, non obfuerat, nocuit aloë: quam ut mitiorem & magis idoneam dederat alius. Non exigit igneum humorem tertianariis Raved? At quando ejus ſucci arroſione apertæ fuerunt venæ illæ? Sed aloë de ſuo addit quiddam, quo dehiſcant vaſa hæc.* Hactenus Scaliger loco ſuperiùs citato.

Valleſius lib. 9. controverſiarum med. & philoſoph. nec per ſe nec per accidens aloën venarum ora aperire, & ſanguinis fluxum ex iis concitare contendit, niſi poſt longum tempus, cùm mitiſſimum medicamentum ſit, quòd primas vias ſolummodò expurget, nec ultra hepar tranſcendat. Perinde ac ſi in illis partibus acrium humorum ſentina eſſe nequeat.

Sic igitur lis hæc à viris doctis deciſa eſt. Aloën foris appoſitam conſtringere

venas, ſanguinemque ex iis manantem cohibere; intrò autem ſumptam, eaſdem recludere, ſanguinique exitum parare, ſive id occulta ſive manifeſta qualitate præſtet. Neque verò id magis eſt mirum, quàm aloën aſtringendi vi pollere, & nihilominus purgare; cujus rei admiratione multos teneri, Galenus lib. 3. de ſimplic. med. facult. cap. 14. aſſerit.

Nec refert, quod Fuchſius lib. I. parod. cap. I. objicit, ſi venas aſſumpta aperiret, id ſemper facturam, cum in catapotiis præbetur. Nam tunc miſcentur ei alia, quæ hanc ejus facultatem retundunt. Crudam autem & per ſe datam ſanguinem è venis elicere, compertum eſt.

Dioſcoridi & Plinio aſſerentibus, ſanguinis exſcreationes ex aqua vel aceto compeſcere, experimenta in contrarium facta opponuntur.

ÆNIGMA XXVIII.

Corporibus, trux mortifero quæ vulnere læſi,
Vulneris auxilium mortuus ipſe fero.

SOLUTIO.

PLinius lib. 11. cap. 45. ſua ætate & raros & innoxios ſcorpiones in Italia fuiſſe tradit. Nunc autem & frequentes in ea reperiuntur & nocentes, licet minus quàm in

in regionibus, quæ in meridiem vergunt. In agro Tridentino à ſcorpionibus ictos nihil mali pati, teſtatur Matthiol. comment. in lib. 2. Dioſc. cap. 11. & cap. 62. eique atteſtatur Scaliger exerc. 289. diſtinct. 5.

Cæterum contra vulnera ſcorpionum ipſimet ſcorpiones remedio ſunt. Sic enim Dioſcor. loco jam citato: *ſcorpio tritus crudus, ſuæ plagæ remedium eſt.* Et Serenus:

Poſtquā vulnus atrox inflixit ſcorpius ardens,
Continuò capitur: tunc dignâ cæde retuſus
Vulneribuſque aptus fertur revocare venenum.

Nec non Cor. Celſus lib. 5. cap. 26: *Scorpio ſibi ipſe pulcherrimum medicamentum eſt. Quidam contritum cum vino bibunt, quidam eodem modo contritum ſuper vulnus imponunt, quidam ſuper prunam eo impoſito, vulnus ſuffumigant, undique veſte circundata, ne is fumus dilabatur, tum carbonem ejus ſuper vulnus deligant.* Aliorum prætereo teſtimonia.

Matthiolus oleum è ſcorpionibus parare docet, quod mirificis laudibus ad quævis venena, modò ne erodendi vi ſint prædita, extollit, ſi cordi ſaltem & pulſantibus temporum, brachiorum & pedum arteriis illinatur, cujus deſcriptionem continet ejus præfatio in lib. 6. Dioſcoridis.

Quæritur autem, quâ ratione ſcorpio adverſus ſuam ipſius plagā ſit auxilio. Reſpon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

det Capivaccius de venenis cap. 6. Si homo à ſcorpione læſus ſit, venenum cum impetu cor petere; poſtquam verò ſcorpius applicatus eſt, è corde revocari: ſicut & Sereno placuit in verſibus modò recitatis. Majorem enim vim trahendi ineſſe ipſimet ſcorpio, quàm veneno. Scire tamen licet, in ſcorpii morſu ſanando illum ipſum ſcorpium, qui momordit, aliis eſſe efficaciorem. Quia per morſum, venenum bona ex parte eſt imminutum. Cujus argumentum præclarum eſt, quòd is, qui priùs ictus eſt à ſcorpione, gravius laborat, quàm, qui poſterius ab eodem.

ÆNIGMA XXIX.

Dic mihi, quando lepus duris è dentibus orto
Dolore languens ingemat?

SOLUTIO.

Tunc, cùm prærapidis canibus contendere curſu
Auſus tenetur dentibus.

ÆNigma prima fronte videtur loqui de dolore, quem lepus in propriis dentibus experiatur. Solutio autem reſpondet de dolore, quem canes ſuis dentibus lepori mordicus comprehenſo inferunt. Verùm ne hoc leviculum de lepore ænigma omnis leporis & gratiæ, imò potius omnis fructus ſit expers, de doloris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

cauſis in genere, & poſtea in ſpecie de dolore dentium, quo homines ſubinde affligun-tur, aliquid diſſeremus.

Notum eſt, oſſa per ſe ſenſus eſſe expertia: ſentiunt autem per accidens beneficio perioſtii, hoc eſt, pelliculæ oſſa veſtientis, quod, quia nervoſum eſt, acutiſſimo pollet ſenſu. Jam vero dentes eſſe oſſa, & quidem perioſtio deſtituta, quis neget? Nam & viſus & tactus nudos eſſe teſtantur. Tum etiam ſi perioſtio dentes obducti eſſent, nec cibos ſolidos ob ejus mollitiem comminuere poſſemus, nec ſine dolore. Et ſi per ſe ſentirent dentes abſque perioſtio, itidem ciborum ſolidorum in ore comminutio ſine dolore non obiretur. Dolor enim ex continui ſolutione naſcitur. Continuum autem in dentibus ſolvi oportet, quoties ad cibos confringendos geminæ illorum acies committuntur. Tunc enim mutuo colliſu ſeſe atterunt, qui attritus continui eſt ſolutio. Cæterum attritus ille perpetuo augmento compenſatur, ſine quo parvo temporis ſpacio dentes conſumerentur toti. Quòd verò perpetuò aliquid in ejus, quod attritu deperiit, locum reſtituatur, ex hoc diſce, quòd, dente uno evulſo, ex adverſo ei reſpondens paulatim ſupra vicinos dentes in longitudinem excreſcat, evulſique lacunam occupet, quippe cum non amplius ſit, cujus occurſu

deteratur. Præterea limari & confringi poſſunt dentes ſine doloris perceptione; quod non fieret, ſi ſenſus participes eſſent. Ne verò dolorem dentium ſummis & imis notum iſtiuſmodi diſſertatione negare videamur, cogitando dentem in duas dividemus partes; exteriorem, quæ gingivâ non tegitur; & interiorem, quæ eâ tegitur. De exteriore vera ſunt, quæ hactenus ſunt prolata: ſiquidem perioſtio ea non veſtitur, nec per ſe, nec per accidens ſentit, ne tum quidem, cum continui ſolutionem patitur. Interioris autem alia eſt conditio. Hæc enim duplici de cauſa ſentit. Primò, quia, ubi gingivâ, ibi & perioſtio obducta eſt; deinde (quod præcipuum eſt) quia dens eâ parte cavitatem habet, quæ tenuiſſimâ membranâ, eâque ſenſus exquiſitiſſimi, intus cingitur. Siquidem per dentis radicem nervus in eam pertinet, unde ſentiendi facultatem haurit.

Quæ ſuperiùs attuli, hujuſmodi objectione impetuntur. Si dentibus exterius ſentiendi facultas nulla ineſt; cur percipiunt calorem & frigus, ex iiſque, cum intenſa ſunt, dolorem. Utique ſi calido ferramento attingas dentem exteriorem, dolebit: dolebit etiam, ſi glacie eum attigeris?

Reſpondeo, duas haſce qualitates, quia activæ ſunt, facilè per dentis ſubſtantiam ad

ad membranulam modò dictam penetrare, ad quam ubi pervenere, tum demum dolor ſequitur. Sic licet unguibus ſenſus omnino denegatus ſit, quippe qui radi & ſecari ſuſtinent; attamen ſi igni attingas, dolor ex ardore ſentitur. Nam vis caloris per unguem ad partes illi ſubſtratas & ſenſu eximio inſtructas tranſit, ibique dolorem creat.

Verum *durus adhuc ſupereſt & dignus vindice nodus*. Dentes poſt eſum fructuum acerborum vel acidorum contrahunt malum quoddam, quod αἱμωδίαν vocant Græci; Latini dentium ſtuporem. Id malum ita occupat dentes exteriores, ut non ſolum mandentes ex eo intoleranter doleant; verum etiam ipſimet dentes digitis noſtris attingere præ dolore vix ſuſtineamus. Quapropter meritò dubitaverit aliquis, an rectè ſtupor affectus ille appelletur, qui tantum invehit dolorem. Stupor enim eſt abolitio ſenſus: in hæmodia dolorem patimur haudquaquam obſcurum. Galenus lib. 1. de cauſis ſymptom. cap. 5. hæmodiam dicit eſſe ſymptoma tactus: Capivaccius lib. 1. practicæ medicinæ cap. 53. hæmodiam dolorem dentibus proprium eſſe aſſerit. Qualis autem ille dolor ſit, & quomodo contingat, explicatu difficillimum eſt. Itaque quod nos ipſimet nobis contigiſſe ſcimus; idem aliis quoq; eadem ex cauſa contingere credimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Alii latiùs hanc vocem extendunt, ſub eaque intelligunt illam quoque moleſtiam, quæ ex vitri, limæ aut ferræ ſtridore nobis accidit. Hæmodiæ ex acidis vel acerbis fructibus contractæ Ariſtoteles ſect. 1. problem. 38. meminit, eamque portulacâ & ſale tolli aſſerit. Commendant alii in hoc affectu nuces avellanas, baſilicas, & amygdalas contuſas dentibusque affricatas. Item panem calentem, recentem caſeum, calidum ovi vitellum, & id genus alia.

Quoniam verò doloris plurimam mentionem in hujus ænigmatis ſolutione fecimus; haud abs re fuerit, doloris cauſas proximas ſcrutari, ut de causâ doloris dentium liquidiùs conſtet. Dolor per ſe ac propriè tactus eſt ſymptoma, per accidens autem reliquorum etiam ſenſuum, vel quatenus tactus ſunt participes, vel quia objecta illorum, ſi naturæ mediocritatem excedant, cauſam aliquam doloris proximam generant. Hippocrates in libro de locis in homine, iis, quibus natura mutatur aut corrumpitur, dolores oboriri ait. Per naturam autem corpus humanum, quatenus ſenſu præditum, intellexit. Quem locum Galenus, in libro de inæquali intemperie, citat, atque tunc alterari aut corrumpi cujusque naturam affirmat, cùm vel calefit, vel frigefit; vel ſiccatur, vel humectatur; vel denique continuitas

ſolvitur,

ſolvitur, quã Seneca lib. 2. naturalium quæſtionum cap. 2. unitatem vocat, non ad numerum, ſed corporis cohærentiã reſpiciens.

Ad dolorem autem excitandum efficaciſſimas eſſe dicit qualitates activas, hoc eſt, calorem & frigus: contrà, minùs effieaces eſſe paſſivas, quales ſunt humiditas & ſiccitas. Doloris ex calore aut frigore exiſtentis exempla paſſim & frequenter ſunt obvia. Quòd verò humiditas & ſiccitas quoque doloris cauſæ eſſe poſſint, declarat Galenus exemplo famis & ſitis, deficiente hîc humidâ ſubſtantia, illic ſiccâ. An verò appoſita ſit illa declaratio, aliorum ſit judicium. Aliud eſt, quærere, an humiditas & ſiccitas tanquam poſitivæ qualitates dolorem creent; aliud, an ex earum abſentiâ & privatione dolor naſcatur, ut in fame & ſiti contingere nemo ignorat. Siccitatis tamen alia eſt ratio quàm humiditatis. In ſiti dolorem parit, non abſentia humidi, ſed ipſa ſiccitas, in locum remoti humidi ſuccedens. Ex humiditate autem tunc dolor naſcitur, cùm immodicâ ſui copiâ partem aliquam occupavit, ut nimius potus ventriculum, urina veſicam, ſerum in aſcite crura & ventrem. Qua ratione ipſa etiam ſiccitas dolorem efficit, ſi copioſi flatus partem aliquam præter naturam impleant, ut in tympanite abdominis cavum,

vum, in colica paſſione inteſtinum colum. Et hucuſque de alteratione.

Sequitur continuitatis ſolutio. Hanc vulnerando, erodendo, tendendo, premendo & convellendo dolorem generare, Galenus ibidem ſcribit. Et lib. 12. methodi medendi. *Naturalis*, inquit, *notitia nos docet, vitium id corporis, ex quo ſit doliturum, aut continuitatis ſolutionem oportere eſſe, aut alterationem aliquam.* Ex quibus perſpicitur, Galenum doloris duas ſtatuiſſe cauſas, alterationem præter naturam, & continui ſolutionem, licet hac de re aliis in locis aliter ſenſerit. Atque hic obſervandum, in omni dolore continui ſolutionem accidere; illo etiam, qui à primis qualitatibus originem trahit. Eſtque continui ſolutio vel manifeſta vel occulta. Manifeſta ſub ſenſus cadit, ut in vulneribus & ulceribus. Occulta intelligitur ratione, ut cùm pars aliqua distenditur, aut comprimitur, vel etiam ſupra modum calefit aut refrigeratur, citra exulcerationem tamen. Calor enim nimius, licet non exulceret, ſegregando; frigus autem conſtringendo & repellendo ſolvit continuum; ſiquidem nullum horum ſine partium quarundam divulſione fieri poteſt. Sin exulceratio accedat, ut cùm ex aquæ ſufervidæ affuſione puſtulæ in corporis ſuperficie excitantur, vel cutis ex frigore

ſcabre-

ſcabreſcit, continui ſolutio contingit manifeſta. Siccitas utroque modo coutinuum ſolvit: manifeſtè in linguæ rimis: occultè ex nimia repletione, ut in colica paſſione. Humiditas continuum ſolvit distendendo immodicâ ſui copiâ: occultè tamen, quamdiu ſenſus nihil ruptum indicat. Sin rumpantur vaſa; jam manifeſtam continui ſolutionem invehit. Atque ex hoc apparet, falli eos, qui putant, humiditatem & ſiccitatem dolorificas non eſſe, niſi vel calori vel frigori jungantur.

Quoniam verò omnem dolorem vel ab alteratione violenta, vel à continui ſolutione fieri diximus, utri harum dolorem, qui viſum, auditum, olfactum & guſtum pervellit, imputabimus? Continui potiſſimùm ſolutioni. Nam nimius ſplendor lædit viſum, quia inſtrumenta viſionis disgregat, cumque ad nervum perventum eſt, acerrimo dolore vexat. Vehemens clangor tubarum, aut fragor tonitrus & bombardarum exploſarum, efficit, ut aër confertim in aures irrumpat, & auditus organa cum moleſtia percellat & divellat. Guſtus inſtrumentum amara & acria mordicando & rodendo moleſtant, quod fieri nequit ſine continui ſolutione. Odores etiam præfortes inſtrumentum odoratus eodem modo afficiunt. Non nego interim, concurrere interdum aliquam

ex.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ex primis qualitatibus, ut, cùm oculus radiis ſolaribus non tantùm præſtringitur, verùm etiam quodammodo uritur.

Atque his poſitis, ſequi videtur, omnem dolorem à continui ſolutione proficiſci. Sed falſa eſt iſta illatio. In omni dolore ſolvitur continuum; ſed non omnis dolor fit ex continui ſolutione. Siquidem cùm alteratio, quam corruptivam vocant, non minùs deſtruat naturam, quàm continui ſolutio, non minùs illa doloris cauſa erit putanda quàm hæc.

Quin imò in controverſiam venit, an ſolutio continui, proxima doloris cauſa eſſe queat. Non videtur ſanè. Nam continui ſolutio objectum eſt commune. Commune autem objectum ſine proprio non ſentitur, ſicut magnitudo ſine colore non cernitur. Quænam igitur propria & proxima tactus objecta ſunt? Qualitates, inquam, primæ & ſecundæ. Et de primis quidem jam diximus. Videamus & ſecundas.

Inter ſecundas qualitates duritiem continuum ſolvere, exploratiſſimum, ſi externa vis concurrat. Lapidem, quantumvis durum, ſed ponderis mediocris, impone capiti, & continuum haud ſolvet; ſin cum impetu impingatur, ſolvet, ſive vulnus excitet, ſive tuber. Aſperitatem continuum ſolvere doloremque creare, multis externis

docu-

documentis confirmatur. Doloris utique eſſe effectricem, magno ſuo malo experiuntur, qui aſperos calculos in veſica continent, non aliam ſanè ob cauſam, quàm quòd continuitatem veſicæ rodendo calculorum aſperitas violet. Aciei etiam ſubtilitas ad ſolvendam corporis unionem maximæ eſt efficaciæ, præſertim ſi violenter impellatur. Quid autem de gravitate judicabimus, quæ pondere ſuo partem aliquam comprimit, eaque compreſſione dolorem cauſatur? Nunquid & illa continuum ſolvit? Certè. Compreſſam enim partem divelli, indicio eſt, quòd longior & latior evadit, ſicut in cera digitis compreſſa videre licet. Quòd ſi impetu quodam feratur, & adſit duricies, non ſimplex fiet compreſſio, ſed colliſio potiùs. Quid verò ſi pars aliqua comprimatur, nec extenſioni locus ullus ſit; ut ſi quis teſticulum omni ex parte æqualiter conſtringat, an tunc continuum ſolvi exiſtimandum eſt? Equidem continuitas partis tunc potiùs uniri, quàm ſolvi videtur: & fortaſſis talis conſtrictio accidit ventriculo vacuo, cibique & potus ob longam abſtinentiam præavido.

Porrò notatu dignum, quòd pars dolens aliter afficitur à qualitate prima, aliter à ſecunda. Prima enim qualitas, ut calor

&

& frigus, ita partem dolentem invadit, ut ipſam quoque calidam aut frigidam efficiat. Sin ex duricie, quæ qualitas eſt ſecunda, dolor hominem arripiat; pars dolens non fit dura, ſed ſatis eſt, ejus continuitatem ſolvi. Hinc illud, quòd calor & frigus ſub propriis nominibus doloris cauſæ ſtatuuntur: ſecundæ autem qualitates continui ſolutione exprimuntur.

Dici vix poteſt, utrum celeriùs dolorem inferat, ſubitùſne exceſſus caloris & frigoris in parte ſentienti, an verò continui ſolutio? Quibus ferro ignito pars aliqua ſauciatur, ut, cùm adhibetur cauterium actuale, hi in ipſo actu & citiùs ardorem & majorem ex eo dolorem ſentiunt, quàm ex continui ſolutione, licet ambo eodem momento concurrant. Qui punctim ferro frigido vulnerantur, ingreſſum ſubitum corporis frigidi antè percipiunt, quàm vulnus ſeſe accipiſſe animadvertant.

Quibus exemplis inſuper fit perſpicuum, non minùs ex ſubita intemperie dolorem oboriri, quàm ex continui ſolutione. Ut taceam, quòd ipſemet etiam tactus inter dolorem, qui ex calore & frigore oritur, & eum, qui ex continui ſolutione, diſcernit. Hydropicus, cui crura tument, ex diſtenſione obſcurum percipit dolorem: at cui in eryſipelate tumet crus alterutrum,

is ex

is ex inflammatione longè majorem ſentit cruciatum, quàm ex continui ſolutione, licet continui ſolutio utrobique ex tumore ſit. Utque lux major obſcurat minorem, ſic in eryſipelate doloris ex inflammatione orti vehementia efficit, ut dolor ex continui ſolutione non percipiatur. Atque hactenus de cauſis doloris in commune diximus.

Hæc ut dentium dolori applicemus, quæritur, doleàntne ab utraque harum cauſarum, an ab alterutra. Reſpondeo, ab utraque. Nam & ex nimio frigore & nimio calore atque inflammatione dolorem in dentibus oboriri, quotidiana exempla teſtantur; nec minùs ex continui ſolutione, ſive ea in ipſa dentium contingat ſubſtantiâ, ubi ſenſus eſt particeps; ſive in cohærentia cum partibus vicinis, ut gingivâ & maxillâ, adhæc venulâ, arteriolâ, nervulo; quæ alimenti, vitæ, ſenſusque impertiendi gratiâ dentium radicibus inſeruntur. Sed hæc fuſiùs tractata in libris anatomicorum & practicorum reperies. Itaque tantillum de dolore dentium hoc loco delibaſſe ſufficiat.

ÆNIGMA XXX.

Congreſſus cum matre mea me protulit ignis;
Hujus perpetuum mihi ſi ſociaveris hoſtem,
Denuò de noſtro coïtu generabitur ignis;
Sicque ſuum gignet verſâ vice filia patrem.

SOLUTIO.

IGnis ardore violentiſſimo certa lapidum congeries in fornace ad id conſtructâ crematur, atque in calcem redigitur. Hujus ea eſt natura, ut aquâ perfuſa ſenſim incaleſcat, tantumque fervorem induat, ut materiam inflammabilem in proximo nacta accendat. Non tamen calorem conceptum diu retinet, ſed paulatim amittit, ſimulque cum eo omnem deinceps eo modo incaleſcendi & accendendi facultatem, Atque tunc calx exſtincta dicitur, quæ, priusquam aquam eſſet experta Græcis ἄσβεστος, id eſt, nondum exſtincta, dicebatur. Vivam vulgo vocant, non quòd propriè vitam in ſe habeat (eſt enim inanimata) ſed quòd intus ἐμπύρευμα, facilè in ignem manifeſtum, aquâ affusâ, transiens contineat, quo agit in res propinquas, quaſi viveret.

Calcis igitur, cui in hoc ænigmate perſonam loquentis detulimus, patrem finʒimus ignem; congeriem lapidum calcariorum, matrem: ipſam calcem, ignis & lapidum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

lapidum illorum filiam. Per ignis autem hoſtem perpetuum intelligimus aquam. Hanc igitur calci affundendo aſſocia: & ex filia, nempe calce, viciſſim generabitur pater, hoc eſt, ignis. Id ita ſe habere, adeò palàm eſt, ut dubitationi reliquus nullus ſit locus. Inter pluendum enim calx viva ſi vehatur, currui; ſin in ædificio malè tecto, atque imbribus pervio, juxta res ardere aptas ſervetur, ædificio incendium minatur. Inundatione etiam domos, in quibus calx viva repoſita erat, incenſas & exuſtas eſſe conſtat. Pulverem pyrium in ignem convertit facillimè. Unde illud ab ænigmate haud procul abludens diſtichon:

E nitro pulvis carbone & ſulphure factus,
Dic, lymphâ incendi quâ ratione queat?

Nimirum quando calci pyrius pulvis imponitur, paulatimque aqua aſpergitur vel ſuffunditur. Tunc enim pyrium pulverem ardeſcere certum eſt. Pari modo & ſulphur inflammatur, ſed diſpari celeritate.

Porro, cùm implacabilis ſit inter ignem & aquam repugnantia, perarduum eſt, veram cauſam hujus rei in claram lucem ex tantis naturæ tenebris elicere. Plinius, cæteroqui autor profundus, libro 36. cap. 23. miratur, aliquid, poſtquam arſerit, accendi aquis: cur autem accendatur, non exponit; ſive deſperârit, id fieri poſſe; ſive tam obvium

vium exiſtimârit, ut ſuam expoſitionem non deſideret,

Cardanus lib. 2. de ſubtilitate ſex modos, quibus ignis validior fiat, recenſens. *Vltimus*, inquit, *modus eſt, cùm cogitur ignis, atque ob id calx aquâ accenditur: nam calor in fornace acquiſitus ac latitans, cùm ex genere ignis ſit, exiguæ aquæ frigore intus concluditur, tum motu, tum coitione ipsâ in ignem evadit*; & in ſequentibus aſſerit, quæcunque igne permutantur, evidentem caliditatem & ſiccitatem acquirere, ut calx & cinis.

In eandem ſententiam loquitur Scaliger exerc. 5. diſtinct. 8. his verbis: *Loca quæ ab aqua tanguntur circumſtante, ab* ἐμπυρεύματος *calore deſeri videntur. Fugit enim valentiorem inimicum. Tum ibi duo evenire: alterum, aquam calefieri atque exhalare: à qua etiam ſuperiora impetantur: alterum, magno impetu calorem ſeſe ſubducere propter ſui contrarii vim & interitus vitationem, cujus in locum ſubeat aqua.* Et diſtinct. 9. *Ex his*, inquit, *intelligi poteſt, quare calx incaleſcat. In calcis meatibus conſumptâ genuinâ humiditate ineſt ignis. Is aquæ ingreſſum fugiens, ac ſeſe in partes ſolidas induens, ſtipat ſeipſum atque acuitur condenſatione. Quia calcis gleba, cujus, verbi gratia, ſemiſſis tantùm aqua tegitur, quanta extra aquam extat, incaleſcit, receptò ſcilicet intrò calore, qui fuit exul.*

Bruno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Bruno Seidelius lib. 2. Philoſophiæ natural. ſectione 5. cap. 8. hanc utriusque ſententiam clariùs proponit. *Etſi*, inquiens, *calx tactu frigida ſit, tamen intus hæret aliquod* ἐμπύρευμα; *cujus nulla etiam conſpicitur* ἐνέργεια, *quòd nihil hîc ſuperſit uſtile. Habet calx calorem ſuum ab igni: hic autem calor primùm ſenſum latet, quia ignis naturam præ ſe non fert, priusquam affusâ aquâ è ſomno ſeu quiete excitetur.* Deinde ad quæſtionem, *quare calx incaleſcat affusâ aquâ*, in hæc verba, ex Scaligero majori ex parte deſumpta, reſpondet. *In meatibûs calcis præter modum ſiccæ ineſt ignis, quem dixi non percipi ante aquam affuſam. Is igitur aquæ ingreſſum fugiens, ac ſeſe in partes ſolidas induens, ſtipat ſe ipſum & acuitur condenſatione. Quia calcis gleba, cujus, verbi gratia, ſemiſſis tantùm tegitur aqua, quanta extra aquam extat, incaleſcit, recepto ſcilicet intrò calore illo, qui fugit & ſeſe ſubduxit, propter ſui contrarii (aquæ,) tanquam valentioris hoſtis, vim ac oppugnationem, & interitus ſui vitationem: in cujus caloris locum aqua ſubiit, quæ calefacta exhalat & ſuperiora petit, ſeu ſurſum tendit.*

Summa dictorum eſt, in calce eſſe ignem abstruſum. Eum ignem fugere aquam affuſam, tanquam hoſtem ſuum. Itaque ab aquæ frigore ignem illum condenſari, eaque condenſatione acui & intendi, quo-

ad

ad manifeſto calore ac incendio ſeſe prodat. Verum de his

ob cauſas aliquis meritò dubitaverit iſtas.

Primum enim falſum eſt, ignem illum occultum aquam fugere, & fugiendo coïre, valentioremque reddi; ſiquidem eadem illa calcis pars incaleſcit, quæ & madefacta fuit, ſive aqua eam attingat, ſive vapor aqueus. Ergo ſi calcis glebam dimidiâ ſui parte aquæ immergas, citius illa ipſa calorem contrahet, quæ ſub aqua eſt, quàm quæ eſt ſupra eam: non ut Scaliger & Seidelius volunt; calx, quanta extra aquam eſt, incaleſcit recepto calore, qui tanquam exul è parte aquis merſa fugerit. Sanè ſi fugeret ignis ille latens aquam tanquam hoſtem, occuparet partem illam, quæ extra aquam manſit, relicta illa, quæ ſub aquam eſt demerſa. Atqui hæc ipſa tantò eſt fervidior, quantò aquæ propinquior: illa autem tantò minus calida, quantò ab aqua, aqueoque vapore eſt remotior.

Demiſi calcem duorum pugnorum magnitudinis in aquam ad medium uſque: in hujus ſummo poſui pulverem tormentarium: calx, quâ aquæ immerſa fuit, ac madefacta, primum incaluit: quâ extra aquam fuit, non antè calorem concepit, quàm infernè calidus vapor per eam diffunderetur: cumque ad pulverem perventum eſſet, ſtatim

ille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ille accenſus conflagravit, calore imam calcem interim non deferente. Nihil igitur eſt, quod dicunt, loca, quæ ab aqua tanguntur circumſtante, ab ἐμπυρεύματος calore deſeri.

Poſtea ſtillicidio ſuppoſui calcem, & ſenſim, quâ aquam imbibit, calefacta eſt: id eſt, in ſummo & medio. In imo nec madorem ullum, nec calorem ſenſi; quoniam, ut opinor, vapor calidus, in quem aqua reſolvitur, ob acquiſitam levitatem aſcendit potiùs, quàm deſcendit.

Quod præterea tradunt, ignem in calce abſtruſum aquæ frigore quaſi per ἀντιπερίστασιν condenſari & acui, tale eſt, ut aſſenſionem ab eo adhuc cohibeam: ſiquidem nihil intereſt, frigidâ aquâ calcem conſpergas, an calidâ, niſi quòd calida ad calorem in ea excitandum efficaciæ eſt celerioris. Experimentum ejus rei cepi. Affudi enim calidam, & eo ipſo quaſi momento calx efferbuit. At frigidam quoties adhibui, mora aliqua interceſſit. Et qualis obſecrò eſt ἀντιπερίστασις, cùm, licet exiguo aliquo calcis apice aquæ immerſo, tota tamen calcis maſſa paulatim incaleſcit, aſcendente quaſi per linguam laneam, ut loquuntur, aquâ in vaporem reſolutâ, & diffundente ſe per totam calcis ſubſtantiam.

Mihi calx viva, cùm aquis perfunditur, aliquid fermentationi ſimile pati videtur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

detur. Siquidem cum calore, quem ex aquæ aſpergine concipit, turgeſcit ſimul, & in majorem molem extenditur. *Calcem*, inquit, Scaliger exerc. 104. diſtinct. 17. *in fornace tecta vidimus adeò turgeſcere, ut tigna atque tegulas ſuſtolleret. Quaſi fermento reor hoc illi tum contigiſſe.* Quantò igitur magis fermentari calx dicetur, cùm aquis perfuſa non tantùm turgeſcit, verùm etiam caleſcit?

Veruntamen de re nondum ſatis perſpectâ, ut Crito ille Terentianus, ampliùs deliberandum cenſeo, atque interim amplectar ingenuam & veriſſimam Ciceronis confeſſionem, quam lib. 1. de natura deorum in hæc edidit verba: *Omnibus ferè in rebus, & maximè in phyſicis, quid non ſit, citiùs, quàm, quid ſit, dixerim.*

ÆNIGMA XXXI.

Non accidens ſum; namque ſi forem accidens,
Subjecto ineſſem, non item ſubſtantia
Dici queo: nam ſi forem ſubſtantia,
Aut corpus eſſem, aut ſpiritus. Sed ſpiritus
Vivunt: ego haud ſum particeps vitæ. obvia
Sunt tactui conſpectuive corpora:
Sum neutri ego obvius. quid ergo ſim, refer.

SO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

SOLUTIO.

ÆNigma præſens confictum eſt, ut ejus occaſione abſtruſa admodum Loci ratio & natura indagetur. Tria autem in ejus ſolutione præſtare conabor. Primò oſtendam, locum non eſſe ſubſtantiam. Secundò, non eſſe accidens. Tertiò inquiram, quid ergo ſit locus.

Locum non eſſe ſubſtantiam ſic probo.

Si locus eſſet ſubſtantia; aut corporea eſſet ſubſtantia, aut incorporea: vel breviùs, *aut corpus eſſet, aut ſpiritus.*

Sed locus non eſt corpus. Alioqui corpus aliud continere non poſſet, eſſentque duo corpora in eodem loco; quod abſurdum.

Neque ſpiritus eſt: quia ſpiritus vivunt. Locus vitæ eſt expers.

Ergo locus non eſt ſubſtantia.

An igitur accidens eſt locus? Minimè gentium. Accidentis enim proprium eſt, ineſſe ſubjecto. Locus autem ſubjecto non ineſt, imò tantum abeſt, ut inſit, ut ipſemet potiùs earum ſubſtantiarum, quæ non poſſunt non eſſe in loco, ſubjectum à Petro Ramo exiſtimetur.

Nec eſt, quod dicat aliquis, locum eſſe ſuperficiem corporis ambientis, & per conſequens quantitatis ſpeciem. Nam nec locus eſt ſuperficies corporis ambientis,

quia alioqui extimum cælum in loco non eſſet. Siquidem à nullo ulteriore corpore ambitur, de quibus in ſequenti diſputatione uberiùs dicetur. Neque quæritur, quomodo ſuperficies ambientis erga ambîtum corpus ſeſe habeat, ſed potiùs, quid ſit receptaculum illud, in quo corpus eſt: in quo receptaculo æquè atque in corpore omnes dimenſiones requiro.

Dices fortaſſe, locum ſeſe habere erga locatum, ut relatum erga correlativum, atque hoc modo eſſe in relatorum genere, quæ ſunt accidentia. Fateor hoc, ſed in ſe locum conſidera, & quid ſit, expone. Aliud eſt, conſiderare Abrahamum & Iſaacum, quatenus alter pater eſt, alter filius: aliud, utrunque in ſe conſiderare. Patrem eſſe accidit Abrahamo, & filium eſſe Iſaaco, cùm tamen uterque in ſe conſideratus ſubſtantia ſit. Pari ratione quæſtio eſt, quid ſit locus in ſe conſideratus: quod cognitu ac dictu minùs eſſet difficile, ſi locus præter nomen relativum haberet aliud; ſicut pater Iſaaci dicitur extra relationem Abraham, & filius Abrahami dicitur Iſaacus.

Ego, locum in ſe conſideratum ſubſtantiam eſſe, argumentis ſequentibus evincere conabor.

Quod per ſe & non in alio exiſtit, eſt ſubſtantia.

Locus per ſe & non in alio exiſtit.
Ergo locus eſt ſubſtantia.

Propoſitio eſt manifeſta. Locum autem per ſe exiſtere hinc cognoſces, quòd locus (ſi locum univerſi excipias) corpore vacuus eſſe poteſt, licet ad breve tempus: quòd uno corpore remoto aliud poteſt recipere: quòd locato corpore moto ipſe manet immobilis.

Deinde: *Locus aut eſt accidens, aut eſt ſubſtantia.*

Atqui locus non eſt accidens; ut jam antè à me probatum eſt.

Ergo eſt ſubſtantia.

Nam quicquid eſt, aut ſubſtantia eſt, aut accidens.

Præterea locus habet vim trahendi corpus, cum eo eſt vacuus. Atqui eam vim, quia accidens eſt, in aliqua ſubſtantia exiſtere oportet. Ea verò ſubſtantia locus eſt.

Atque hoc illud eſt, quod in tonſorum vitris, aëre oris ſuctu evacuatis, aquam per roſtrum inverſum contra corporis gravis naturam facit aſcendere, cujus cauſa ſuprà ænigmate ſeptimo lib. 3. celata, ejuſque revelatio ex promiſſo in hunc locum dilata eſt.

Sed integra adhuc manet illa objectio.

Si locus eſt ſubſtãtia, aut corpus eſt, aut ſpiritus.

Sed neutrum horum eſt, ut ſuprà probatum.

Ergo locus non eſt ſubſtantia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Reſpondeo & fateor, locum non eſſe corpus: fateor item, locum non eſſe ſpiritum. Sed ſpiritum æquè latè patere, atque ſubſtantia incorporea, nego. Divido enim ſubſtantiam incorpoream in viventem & vitâ carentem. Spiritus eſt ſubſtantia incorporea vivens. Locus eſt ſubſtantia incorporea vitâ carens. Atque ſic loco in ſubſtantiæ prædicamento de loco convenienti & legitimo, ut mea fert opinio, proſpectum exiſtimo.

Ariſtot. libr. 4. Phyſicor. textu 7. *Videri*, inquit, *poteſt*, *& Heſiodus rectè dicere, cùm chaos primum fecerit*. Ait enim in ſua Theogonia:

Πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος. Hoc eſt:

Principiò chaos eſt generatum ante omnia, poſt
Pectus habens latum tellus. (*quod*

Quaſi primùm oportuerit receptaculum rebus præparari, propterea quòd, ut plerique omnia alicubi, & in loco eſſe exiſtimaret. Quod ſi ita eſt, admiranda quædam, & omnibus antiquior loci vis erit. Id enim, ſine quo aliarum rerum nulla eſt, ipſum autem eſt ſine aliis, neceſſum eſt primum eſſe. Et enim locus non perit, iis, quæ in eo ſunt, intereuntibus.

Mea ſententia eſt, Deum condidiſſe locum in principio unà cum cælo & terra adhuc indigeſtis. Nec refert, loci men-

tionem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

tionem ibi prætermiſſam. Nam Moſi propoſitum fuit primo capite Geneſeos tantum τῶν ὁρατῶν originem deſcribere, quod ex eo perſpicuum, quia angelorum quoque creationem ibi reticuit & foſſilium, quæ tamen non niſi ex accidenti, quandiu ſcilicet ſub terra latent, inconſpicua ſunt.

Porrò ut loci natura penitiùs perſpiciatur, ſubjungere libet diſputationem, quâ olim definitionem loci ab Ariſtotele traditam examinavi. Ea verò ſequentibus verbis eſt comprehenſa. Locus ab Ariſtotele lib. 4. phyſ. cap. 4. definitur, τὸ τοῦ περιέχοντος πέρας ἀκίνητον πρῶτον. id eſt, ejus quod continet, extremum immobile primum, per extremum autem intelligit ſuperficiem interiorem corporis continentis locatum, ſive corpus illud continens:, aër ſit, ſive aqua, ſive aliud quoddam. Immobilem autem locum eſſe vult. Nam quod aliò movetur, locum priorem relinquat, oportet: non relinqueret autem, ſi locus mobilis eſſet, hoc eſt, cum corpore locato aliò moveretur. Quòd verò ſuperficiem illam vocat primam, hoc ipſo locum communem excludit, quaſi proximam, reique locatæ contiguam dixiſſet.

Alii tamen πρῶτον interpretantur adverbialiter, referuntque ad adjectivum *immobile*, quaſi locus ſit ſuperficies immobi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

lis primò. Superficies enim eſt accidens in prædicamento quantitatis. Accidentia autem non moventur per ſe, id eſt, proprio motu, ſed per accidens, id eſt, motu alieno, ejus videlicet corporis, cui inhærent. Locus igitur eſt immobilis primò, quatenus ſcilicet non movetur per ſe illa ſuperficies corporis ambientis, ſed per accidens, moto ſcilicet corpore, cujus eſt ſuperficies. Sed prior interpretatio naturæ loci magis convenit, quem nec per ſe, nec per accidens moveri oportet. Etenim corpus naturale eſt mobile, ſed locus phyſicus eſt immobilis.

Verùm hæc definitio, quantumvis ſubtiliter ab Ariſtotele excogitata, meritò ceu multorum abſurdorum mater à quibuſdam rejicitur.

Nam ſi ſuperficies τοῦ περιέχοντος locus eſt, ſequitur id, quod à nullo corpore ambitur, in loco non eſſe: neque id inficiatur Ariſtoteles. Sic enim ait, lib. 4. phyſ. c. 5. *Id corpus in loco eſt, quod extrinſecus aliud corpus continet: cui verò hoc non convenit, non eſt.*

Atqui cælum nullo extrinſecus ambitur corpore.

Nam ſi ambiretur ab alio, atque hoc etiam ab alio, & idipſum rurſus ab alio; non ſine abſurditate fieret in infinitum progreſſio; cujuſmodi argumento Zeno locum omnem

è me-

è medio tollere nitebatur. Conſequens igitur eſt, cælum non eſſe in loco.

Neque verò id Ariſtotelem latuit. Paulò pòſt enim, *Cælum*, inquit, *nuſquam eſt totum, nec ullo loco. A nullo ſiquidem corpore continetur.*

Quid verò inconvenientius, quàm corpus ſtatuere ſine loco? *Ea enim*, inquit Ariſtoteles lib. 4. phyſ. cap. 1. *quæ in rerum natura ſunt, omnes alicubi eſſe exiſtimant.* Et iterum: *Vt omne corpus in loco eſt, ita in omni loco corpus.* Si igitur cælum corpus eſt, erit in loco; ſi in loco eſt, ne erit quidem.

Quid verò ad hæc Ariſtoteles? Ad diſtinctiones argutas cap. 5. confugit. Alia enim actu in loco eſſe dicit, alia potentiâ. Actu in loco ſtatuit illa, quæ & propriam habent circumſcriptionem, & à cæteris rebus per locum, qualis ab ipſo definitur, diſtinguuntur.

Potentiâ in loco ſtatuit partes totius, quod continuum eſt, & item eſt in loco. Sic lapis terrâ coopertus totus Ariſtoteli in loco eſt actu, quoniam & ſuam habet circumſcriptionem, & terræ ſuperficie ipſum attingente circumquaque ambitur. At partes lapidis integri & continuati in loco ſunt potentiâ, quia propriam circumſcriptionem nullam habent. Diffracti autem lapidis fruſta, jam propriam circumſcriptionem nacta, & alia ab aliis loco diſtincta, actu in loco ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Atqui Ariſtoteles neutro horum modorum cælum in loco eſſe dicit. Nam neque actu in loco eſt, cùm extrinſecus à nulla re contineatur: neque potentiâ, quia nunquam continebitur. Illa enim potentiâ in loco eſſe dicuntur, quæ in loco eſſe quandoque actu poſſunt.

Poſtea duobus prioribus modis alios duos addit Ariſtoteles: quòd videlicet quædam in loco ſint per ſe, quædam per accidens. Et per ſe quidem in loco eſſe dicit, quicquid loco vel augmentatione moveri poteſt. Et, ut ipſius verba apponam, τὸ κατὰ φορὰν ἢ κατ᾽ αὔξησιν κινητὸν, per ſe in loco eſſe dicit. Per accidens verò illi in loco ſunt, tum accidentia corporibus inhærentia, tum omnia illa, quæ per aliud in loco ſunt, ut per partes.

Atque ſic cælum per accidens in loco eſſe dicit, quia partium alia aliam contineat.

Sed hac ratione non totum cælum in loco erit: quia etſi intus pars à parte contineatur, nulla tamen eſt, quæ foris ipſum contineat. Quapropter cæli extima pars ne hoc quidem modo in loco erit.

Reſponderi pro Ariſtotele ſolet. Ita aliquid in loco eſſe, ſicut in loco movetur. At partes cæli in loco moventur per ſe. Nam pars, quæ fuit in oriente, poſtea eſt in meridie, deinde in occidente; inde per inferius, hemi-

hemiſphærium in orientem redit. At totum cælum non movetur per ſe, quia non mutat locum, ſed per partes tantùm movetur. Unde concludunt, partes cæli in loco eſſe per ſe, totum verò cælum per accidens: per ſe autem moveri dicunt id, quod reſpectu ſui ipſius, non alterius movetur; per accidens autem, cujus motus dependet ex motu alterius.

Veruntamen, utut ſubtile hoc reſponſum ſit, inane tamen eſt. Nam ſi omne quod movetur, in loco movetur, & locus eſt ambientis corporis ſuperficies; quî poterunt partes illæ cæli, quæ foras ſpectant, nulloque corpore exteriùs ambiuntur, moveri? Moventur autem, & quidem in loco. Sequitur ergo, ſuperficiem corporis locum non eſſe.

Cæterùm quod de cæli motu diximus, de eo intellige, quod Ariſtoteles mundi oram conſtituit. Extimum enim, quod eſt ora ſedis beatorum, in orbem moveri, ſicut id, quod cernitur, affirmari nequit. Tantoque minùs objectio illa contra verè extimum cælum valebit.

Præterea per jam dictam loci definitionem progreſſio in infinitum non poteſt evitari. Si enim cælum, tanquam corpus, in loco eſt, ut eſſe oportet (alioqui enim non eſſet;) ſi locus cæli eſt ſuperficies corporis cælum ambientis: illud ipſum corpus aut

infinitum erit, aut alterius alicujus finiti corporis continebitur ſuperficie, & hoc rurſum alterius, & ſic in infinitum uſque: quorum utrunque abſurdum eſt.

Ex eadem definitione ſequitur, unius corporis loca eſſe plura, ejus ſcilicet, quod pluribus comprehenditur ſuperficiebus. Sic aquam infernè continet terra, ſupernè aër. Ergo aqua duobus eſſet in locis. At verò corporis unius unus eſt locus, non plures.

Quid? quòd mobilis efficitur locus contra ſuam naturam, ſi locus eſt interior illa ambientis corporis ſuperficies. Exempli gratia: Si in flumine ſtes, dum præterlabitur aqua, ſuperficies aquæ corpus cingens continuè mutatur, corpore interim manente immoto. Idem fit flante vento. Nam aëris arborem ambientis ſuperficies fit alia atque alia, dum novus aër in præteriti locum ſemper ſuccedit.

Præterea, ſi ſuperficies ambientis locus eſſet, quandoque pars loci maneret immota, pars moveretur. Exemplo ſit arbor, cujus radix ſub terra eſt, truncus & rami in aëre. Manet enim immota terræ ſuperficies, aëris ſuperficie interea mutationem admittente.

Quæ omnia cùm abſurda ſint, & Ariſtotelis præceptis inſtitutiſque, præcipuè verò

verò loci naturæ, contraria: fieri non poteſt, quin in definitione loci, quam initio hujus diſputationis recitavi, aliquid lateat vitii. Vitium illud Johannem Grammaticum, cognomento Philoponum, non latuit, cauſamque ei præbuit digreſſionis illius, qua non minùs accuratè, quàm prolixè, in ſuis in Ariſtotelis Phyſica commentariis definitionem illam redarguit.

Cedò igitur, inquis, aliam loci, naturæ convenientiorem, definitionem. Utinam verba ad ſententiam, ut reor, novam exprimendam idonea ſuppeterent! Cogit igitur ſermonis penuria, ut, quod uno vocabulo nequit, pluribus exprimatur. Quid igitur, ſi talis loci ponatur definitio. *Locus* (de Phyſico agimus) *eſt incorporeum & immobile corporis naturalis mobilis receptaculum.* Per incorporeum receptaculum intelligo ſubſtantiam incorpoream vita carentem, de qua ſuprà. Receptaculum dixi: quia locus ab officio recipiendi continendique locatum, notior eſt, quàm à ſua ſubſtantia. Quòd ſi ſpiritibus creatis etiam accommodare definitionem velis, pro *corpore naturali*, dic *rem naturalem.* Sed Peripatetici haud facilè ſpiritibus tantum juris in phyſica civitate permittent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

ÆNIGMA XXXII.

Dum ſuper orbe feror terrarum mobilis humor;
Dic mihi, ſi noſti, quâ ratione ferar?
Namq; globi in facie nihil eſt ſublime vel imum;
At tellus faciem fertur habere globi.

SOLUTIO.

AQua in terræ ſuperficie fluens, cujuſcunque ea ſit originis, hoc ænigmate à Lectore percontatur, quâ ratione fluat, cùm terram undiquaque rotundam eſſe certis argumentis conſtet. Globoſam enim eſſe, è ſeptentrione in meridiem docet elevatio & depreſſio poli, quæ non omnibus eſt eadem, ſed, quò quiſque in ſeptentrionem magis progreditur, hoc magis ei polus arcticus elevatur: quò verò longiùs ab eo Æquatorem verſus regreditur; eò magis deprimitur; adeò, ut hinc animadverſum ſit, ſingulis gradibus cæleſtibus (dividitur autem cælum illud in gradus 360) in terris quindena milliaria Germanica reſpondere.

Deinde niſi è ſeptentrione in meridiem terra rotunda eſſet, eædem ſtellæ diverſis inter ſeptentrionem & meridiem populis eodem tempore orirentur & occiderent. Sed aliis omnes oriuntur & occidunt; ut habitantibus ſub æquatore: aliis nullæ oriuntur, nullæque occidunt, ſed ſemper pars ſtel-

ſtellarum dimidia infra terram, reliqua pars dimidia ſupra terram manet; nempe iis qui ſub polis degunt. Intermediis, quales nos ſumus, quædam oriuntur, & occidunt, quædam nunquam occidunt, quædam nunquam oriuntur. Sequitur igitur, terram è ſeptentrione in meridiem eſſe rotundam.

Eandem rotundam eſſe ab oriente in occidentem, arguit ortus & occaſus ſtellarum. Stellas enim citiùs orientalibus, quàm occidentalibus oriri & occidere, exploratum eſt.

Et niſi terra ab oriente in occidentem globoſa eſſet, eclipſes lunæ eodem tempore orientalibus & occidentalibus apparerent. Atqui hoc non fit. Plures enim horas ab ortu vel occaſu Solis ad tempus conſpectæ eclipſeos numerant orientales, quàm occidentales, quod Plinius eo, quem paulò antè nominavi, loco exemplis declarat.

Etſi igitur eodem tempore communi (malo ſic loqui, quàm naturali) unam & eandem Lunæ eclipſin contingere oportet; tamen cujuſque loci proprium tempus (malo ſic loqui, quàm artificiale) ob terræ tumorem variatur. Ex quibus infertur, totam terram, ſive potius globum ex terra & aqua conſtantem, rotundam habere figuram.

Argumentum etiam rotunditatis terræ non vulgare ſumitur ex obſervatione Lunæ

defi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

deficientis. Hæc enim non ſolùm, cùm umbram terræ ingreditur, verùm etiam, cùm ex ea egreditur, parte lucidâ cornuta ſive falcata apparet, quod ſignum eſt umbram terræ rotundam eſſe. Cùm autem umbra figuram corporis opaci imitetur; efficitur, ipſam quoque terram rotundâ præditam eſſe figurâ.

Jam verò quoniam aqua ſuâpte naturâ non niſi è ſublimiore loco per declivia in humiliorem fluit; in globi autem ſuperficie nihil ſublime eſt, nihil humile, ſed æqualia omnia: quæritur, quomodo aqua fontium, rivorum, fluminum & pluviarum per terram fluat?

Sciendum, molem illam ingentem, quam Deus ex terra & aqua coagmentavit, non in ſpeciem abſoluti orbis globatam eſſe, ſed partes quaſdam habere altiores, quaſdam humiliores. Idque non tantùm de montibus & vallibus accipiendum eſt, ſed etiam de ipſis regionibus, quarum aliæ ſunt editiores, aliæ depreſſiores. Sic Helvetia altior eſt quàm Belgium. Unde illa Germaniæ in ſuperiorem & inferiorem partitio.

Facta autem eſt terra inæqualis, non temerè, ſed ſingulari Dei conſilio, hoc videlicet, ut aqua partim illa, quæ paſſim è terræ viſceribus ſcaturit, partim, quæ ex aëre in eam decidit, per terræ loca declivia (quæ aquæ

natura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

natura eſt) fluere poſſet. Niſi enim flueret, corrumperetur.

Nam vitium capiunt, ni moveantur, aquæ.

Imò quod gravius eſt, ſtagnando veluti coacervaretur, & incolas terræ quaſi quodam diluvio ſubmergeret atque ſuffocaret. Quantas verò aqua, non confertim in uno terræ loco erumpens, ſed hîc illic per venas exiles exoriens, primumque fontes, poſtea rivos & flumina conſtituens, interdum etiam ex aëre depluens, utilitates humano generi afferat, nemini ignotum eſt. Valet enim ad ſitim reſtinguendam, ad cibos coquendos, ad hortos & prata irriganda, ad lavandum, ad verſandas machinas, ut molendina, ad onera navigiis tranſvehenda, & ſexcenta alia. Qua in re qui Dei ſapientiam non perſpicit, ſtupidus & cæcus eſt; qui bonitatem non agnoſcit, ingratus.

Neque tamen tot uſibus (& quota eorum pars commemorata?) idonea terræ inæqualitas ejus rotunditatem in tanta mole magis abolet, quàm capita clavorum rotunditatem rotæ, ut ex Lunæ eclipſibus manifeſtum eſt. Scitè igitur Buchananus lib. 1. Sphæræ:

Nec te commoveat, quod in altos edita montes
Pars terræ aſſurgat quædam, depreſſa profundis
Vallibus hæc ſidat penitus, campoſque jacentes
Explicet, humanos dum ſe conformat ad uſus.
Iſta quidem noſtris diſcrimina magna videntur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Eſſe oculis, terramq; negāt planè eſſe rotundā.
Sin tibi cum tota maſſa telluris & undæ
Quantumvis altos libeat componere montes:
Aſperitas terræ, quam nos miramur, inanis
Vaneſcit, nullumque facit penitus momentum.
Non ſecus ac vitreum ſi muſca perābulet orbē,
Qui nobis penitus lævis videatur, & omni
Aſperitate carens, ſentit tamen illa tumorem,
Parvaque inæquali figit veſtigia clivo:
Non aliter fixura, niſi ſulcata dehiſcat
Hîc rimis, illic tumulis ſibi machina diſpar.

ÆNIGMA XXXIII.

Edeluis nomen, quæ corporis extima poſtquā
Texerat in tantum, ne vel brevis area pellis
Salva videretur: contage vacabat, eâque
Infectis populo ſeſe agglomerare licebat.
At ſimulac in parte aliqua cutis obvia carnem
Objiceret vivam, niveaque aſpergine caſſam
Viſibus: extemplò fœdâ contage teneri
Ille ferebatur, populoque exire coactus
Cum grege deſertos habitabat ſegrege campos.

SOLUTIO.

LUes illa eſt lepra Judæorum, de qua Levitici 13. expreſſiſſimis verbis præcipitur, eum, in cujus cute effloruerit, totamque cutim à capite uſque ad pedes texerit, itemque totam carnem in albam mutârit, mundum declarari debere. Simulac verò in

ea apparuerit caro viva, immundum eſſe judicandum: &, ſi viva illa caro rurſus mutata fuerit in albam: denuò mundum eſſe pronunciandum.

Verba Moſis Levitici 13. verſibus ſuis diſtincta ex Junii & Tremellii verſione hæc ſunt.

9 *Plaga lepræ ſi erit in homine, adducetur ille ad ſacerdotem.*

10 *Si autem viderit Sacerdos ille, quòd ecce tumor albus eſt in cute, & ipſa mutavit pilum in album, etiamſi aliqua ſanitas carnis vivæ ſit in tumore illo:*

11 *Lepra inveterata eſt in cute carnis ejus: ideò immundum pronunciabit eum Sacerdos ille: ne igitur recludito eum: immundus enim eſt.*

12 *Quod ſi omnino efflore ſcet illa lepra in cute ejus, tegetque illa lepra totam cutim plagâ affecti, à capite ejus uſque ad pedes ejus, quacunque inſpicient oculi ſacerdotis.*

13 *Si viderit Sacerdos ipſe, quod ecce texit lepra illa totam carnem ejus, tum mundum declarabit plagâ illâ affectum: tota mutata eſt in albam: mundus eſt igitur.*

14 *Sed qua die apparebit in ea caro viva: immunda erit.*

15 *Quum itaque inſpexerit ille Sacerdos carnem iſtam vivam, immundum pronunciabit illum: caro illa viva immunda eſt, lepra eſt.*

16 *Aut*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

16. *Aut quum verſa fuerit caro illa viva & mutata in albam, tum veniet ad ſacerdotem.*

17. *Si autem inſpiciens eum ſacerdos ille videbit, quòd ecce verſa fuerit plaga illa in albam; tum pronunciabit mundum ſacerdos illum plagâ affectum: mundus eſt.*

Quòd verò immundi in loca, à mundorum habitaculis ſeparata, abire coacti fuerint, liquet ex ejuſdem cap. ꝟ. 46. Jubetur enim immundus ſolus habitare, & extra caſtra ſuam habitationem habere. Joſephus libr. 3. antiquit. cap. 10. leproſos omnibus modis ait ex civitate expulſos, cum nullo penitus converſantes, & nihil à mortuis differentes.

Quoniam verò in ſequentibus lepræ & elephantiaſis crebra incidit mentio, iiſque nominibus apud diverſas gentes diverſi morbi ſignificantur, plurimùm, ad faciliorem intelligentiam, referre arbitror, ut, quid utraque vox apud hos vel illos autores denotet, præmittam.

Lepra Græcorum ſcabiei quoddam eſt genus medium inter pſoram & elephantiaſin. Dicta eſt quaſi λεπιρὰ, hoc eſt, ſquamoſa, ἀπὸ τῆς λεπίδος, id eſt, à ſquama. Scholiaſtes Nicandri deducit ἀπὸ τοῦ λεπρύνεσθαι, quod ſcabreſcere & albeſcere ſignificat. Siquidem in illa ſcabie è cute multę ſquamæ albæ decidũt.

Latini

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Latini vocant impetiginem; qualis ſcilicet à Cornelio Celſo deſcribitur lib. 5. & in quatuor ſpecies diſtinguitur.

At lepra Arabum, teſte Avicenna libro 4. fen. 3. tractat. 3. cap. 1. eſt illa, qua infectos, nos etiamnum appellamus leproſos; quamque Græci autores elephantiaſin nuncupant; cujus nominis rationem Aretæus lib. 2. de diuturnis morbis accuratè expoſuit, quòd morbus hic eoq; infecti cum elephante multa habent communia. Celſus Elephantiam vocat lib. 3. c. 25.

Habent & Arabes ſuam elephantiam, ſed à Græcorum elephantia ſive elephantiaſi plurimùm differentẽ. Nam elephantia Arabum tumor quidam eſt pedum & cum aliquo figuræ vitio nimia craſſities, ut videre eſt apud Avicennam can. 3. fen. 22. tractat. 2. cap. 16. Avenzoar. lib. 2. cap. 26. ſic appellatam vult, quia aſſimilatur cruribus elephantis in craſſitie. Dodonæus in exemplis medicinalibus cap. 52. cauſam ejus vult eſſe ſanguinem optimum, in idoneis corporis ſubſtantiam jam converſum, nondum tamen agglutinatum. Sed nos telam, quam de lepra Judæorum exorſi ſumus, pertexamus.

Judæos lepræ cuidam obnoxios fuiſſe, profanos ſcriptores non latuit. Sed ſinceram rei veritatem, ſuorum figmentorum adulterio impiè corruperunt.

Juſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Juſtinus lib. 36. nugatur, Ægyptios à Iudæis ſcabiem pruriginemque contraxiſſe, eamque ob cauſam Moſen eorum ducem cum ægris Ægypti terminis pepuliſſe; & quoniam metu contagionis pulſos ſe ab Ægypto meminerant, ne eâdem de cauſa inviſi apud accolas forent, caviſſe, ne eum peregrinis communicarent; atque ſic quod ex cauſa factum, in diſciplinam religionemque convertiſſe.

Tacitus lib. 21. annalium ſuorum ſcribit, Iudæos ſue abſtinuiſſe propter morbum quendam, cui id animal obnoxium. Morbum hunc Lemnius lib. 3. de occult. nat. mirac. cap. 7. grandinem porcorum vocat, affinemque lepræ vulgari arbitratur, & de cætero Taciti aſſertioni ſubſcribit.

A Iudæis porcos in cibum mactatos non fuiſſe, patet ex Auguſti Cæſaris dicterio, quod recitat Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 4. Cùm enim Auguſtus audiviſſet, inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Iudæorum intra bimatũ juſſerat interfici, filium quoque Herodis occiſum; in hæc erupit verba, *Melius eſt Herodis porcum eſſe, quàm filium.*

De Ægyptiis quoque Herodotus narrat, ſuem eos ſpurcam beluam arbitratos; quam ſi quis vel in tranſitu contigiſſet, ilico abiiſſe ſeſe lotum cum veſtimentis; multò minùs ſuem guſtare ipſis licuiſſe; ut videre eſt par-

tim

tim in Euterpe, partim in Melpomene. Siquidem & ipſis lepra ſub elephantis nomine fuit infeſta, ut teſtatur Lucretius lib. 6.

Eſt elephas morbus, qui Nili flumina propter
Gignitur, Ægypto in media, neque præterea uſquam.

Eandem rem Plinius lib. 26. cap. 1. aliis verbis ſignificat. Perhibet enim, elephantiaſin malum eſſe Ægypto peculiare, & ante Pompeii magni tempora non accidiſſe in Italia, in eaque morbum illum celeriter reſtinctum fuiſſe.

Cornelius Celſus lib. 3. cap. 25. ſuo tempore ignotum penè in Italia dixit.

In Ægypto eum duraſſe uſque ad ſuam ætatem, Galenus teſtatur libr. 2. ad Glauconem cap. 11. Ubi refert, Alexandriæ elephantis morbo plurimos corripi, propter victus rationem & regionis fervorem.

Alexandriam autem Ægypti intelligendam reor, ſicut & Mercurialis libr. 1. variarum lect. cap. 2. Utque id faciam, moveor hoc argumento, quòd Galenus Alexandrinorum victum aphor. 20 ſection. 2. deſcribens, zythum pro potu eos uſurpaſſe ponit. Jam verò Plinius in calce lib. 22. zythum ex frugibus in Ægypto fieri ſolitum tradit.

Valeat igitur Bellonii conjectura, qui lib. 2. ſuarum obſerv. cap. 19. Troadem ſub Alexandriæ nomine apud Galenum ſigni-

ſignificari contendit. Hanc enim poſtquam à Romanis inſtaurata eſt, Alexandriæ nomen accepiſſe, teſte Plinio libr. 5. cap. 13.

Cæterum Judæorum lepra pleriſque nihil aliud fuiſſe videtur, quàm ea vitiliginis ſpecies, quam Græci λεύκην vocant. Philo Judæus in libro de plantatione Noë, quam Græci λέπραν interpretati ſunt, λεύκην, hoc eſt, vitiliginem albam, tranſtulit. Arnobius etiam adverſus gentes, lepram à Chriſto curatam vitiliginis vocabulo aliquoties exprimit. Sic enim lib. 1. de Chriſto loquitur: *Unus fuit ex nobis, cujus fœdæ vitiligines juſsioni obtemperabant pulſæ ſtatim.* Et iterum: *Ille notas albicantium vitiliginum manu admotâ deterſit.*

Mercurialis libr. 3. variarum lect. cap. 18. in eandem diſcedit ſententiam. *Si lepræ ſigna,* inquit, *quæ 13. cap. Levitici copiosè recenſentur, animo volvamus: perſpectum erit, lepram Iudæorum ipſammet vitiliginem albam fuiſſe.* Et multa profectò cum ea habet communia.

In lepra Judaica cutim fuiſſe albam, legimus Levit. 13. & clariùs Num. 12. verſu 10. ubi de Mirjam Moſis ſorore dicitur, quòd leproſa fuerit ſicut nix. Nec non 2 Reg. cap. 5. verſu 27. ubi ſcriptum extat, Gehazi egreſſum eſſe ab Eliſa, infectum leprâ ſicut nix. Præterea in lepra illa pilorum colorem in album fuiſſe mutatum, refertur Levit. 13.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

In vitiligine etiam Cornel. Celſus lib. 5. cap. 28. utrunque contingere teſtatur, *Leuce*, inquit, *albida eſt, in eaque pili albi ſunt & lanugini ſimiles*. Unde vitiligo à Græcis λεύκη dicitur; ſicut & populus arbor, ob ſimilitudinem ſcilicet, quam cum ea habet; ut teſtatur Galenus lib. 3. de ſymptomatum cauſis cap. 2. Sicut enim populo arbori cortex eſt albus & folia alba; ita & cutis hominis, quem vitiligo tenet, morboſa albedine occupatur.

In utraque ipſa etiam caro ſub cute album induit colorem. Quin etiam utraque contagii expers fuit; ut de vitiligine teſtatur Mercurialis loco paulò antè citato. De Judæorum autem lepra ego inferiùs probandum mihi ſumam.

In eo diſcrimen eſt, quòd vitiligo ſanguinis eſt vitium; Judæorum autem lepra exanguia etiam corpora invaſit, ut veſtes laneas & lineas, pelles item, ſic ut maculæ eſſent ſubvirides & ſubrubræ, de quibus præcipitur Levit. 13. à verſu 47. ad finem capitis. Quin etiam ipſas domos lepra infecit parietibus, inque parietibus foſſulas ſubvirides & ſubrubras excitavit, ut videre licet Levitici 14. à verſu 30. uſque ad 48.

Præterea lepra Judaïca non ſemper albo ſeſe colore in hominis copore prodidit, ſed interdum ſubrubra quoque apparuit, ut in ci-

catrice; ambuſtis, & calvitie, ut legimus Levitici 13. ℣. 18.24. & 42. Contrà in Leuce color albus perpetuò conſpicitur.

Denique Paulus Ægineta libr. 4. cap. 5. teſtatur, vitiliginem, quæ plures corporis partes occupavit, magis deſperatam eſſe, quàm quæ paucas. Contrà lepra Judæorum ſeſe habebat. Cùm enim in omnem cutim ſeſe diffuderat, & à capite ad pedes univerſam contexerat, homo mundus cenſebatur. Sin iterum appareret caro viva, immundus judicabatur. Ex quibus liquet, quantum diſcriminis inter Judæorum lepram & vitiliginem fuerit.

Age verò vitiliginis & lepræ ſeu elephantiaſis Ægyptiorum comparationem inſtituamus: & apparebit, hos quoque morbos diverſos fuiſſe: licet Oroſius lib. 1. cap. 8. lepram illam ſcabiei & vitiliginis nomine ſignificârit. Primùm enim vitiligo alba naſcitur vitio facultatis nutritivæ, ſanguinem pituitoſum & pallidum gignentis: quo dum caro nutritur, paulatim albo colore inficitur, atque inprimis cutis, quamdiu natura ad expellendum malum ſatis eſt rubuſta. Exploraturi igitur, an ſanabile ſit malum, incîdunt cutem, aut acu pungunt. Si ſanguis exit, remedio locus eſt; ſin humor albidus, ſanari non poteſt.

Elephantiaſis autem ex bile fit atrâ, teſte Galeno in aphor. 41. ſect. 2, & 2. ad Glau-

con

con. cap. 11. adeò ut Paulus Ægineta eam pro cancro totius corporis habeat; atque hinc coloris in cute ex rubro in atrum contingit converſio.

Deinde differt vitiligo à lepra & elephantiaſi, quòd hæc ſint cum aſperitate cutis, roſione, pruritu & ſquamis: in illa verò cutis ſit ſine ulla aſpredine & roſione; ut videre eſt apud Gorrhæum in definitione τῆς λεύκης.

Denique, ut & ſuprà dixi, vitiligo contagionis exſors habita fuit: elephantiaſin autem contagii ſuſpicione non caruiſſe, tradit ex Archigene Aëtius tetrabibli 4. ſermon. 1. cap. 120. *Eſt gravis*, inquiens, *morbus, & propè ex eorum numero, qui incurabiles exiſtunt: Et gravis quidem eſt ipſi ægro, intolerabilis autem aſpicientibus; utpote, qui ipſum omnino averſantur, adeò; ut & plerique ex neceſſariis & domeſticis ægri ipſius conſuetudinem devitent. Etenim ſuſpicionem de ſe præbet malum, tanquam ſit contagioſum. Atque ego ſanè malum eſſe affirmo, cum ipſis converſari. Inquinatur enim aër, quem inſpirando attrahimus, ex ulcerum fœtore & vitioſa ſpiritus exhalatione.* Hucuſque Aëtius. Paulus etiam lib. 4. in fine capitis primi, elephantiaſin non minus contagioſam eſſe affirmat, quàm peſtis eſt; ideoque ſuadet, ut lue hac infecti in loca ab aliorum hominum frequentiâ procul remota habitatum ablegentur. Quò magis

mirum, quòd Plinius in Italiâ citò reſtinctam ſcribat. Fieri tamen poteſt, ut Ægyptii & vitiligini & elephantiaſi juxtà obnoxii fuerint.

Sed quærat aliquis, an hodierna lepra eadem ſit cum elephantiaſi Ægyptiorum & Græcorum. Tenendum, lepram hodie notam duplicem eſſe; alteram atram, alteram albam. Atra ipſiſſima Ægyptiorum & Græcorum elephantiaſis fuiſſe videtur; quippe quam majori ex parte atræ bilis ſobolem eſſe, exploratum ſit: alba autem ad vitiliginem propè accedit, atque ex pituita ſalſa certam malignitatem adeptâ potiſſimùm originem trahit. Paracelſo utraque ex Tartaro oritur. Eraſtus, cùm elephantiaſis hominem invadit, ſemper à malè temperato hepate atram bilem pro bono & laudabili ſanguine generari, ſcribit, eumque nunc biliosiorem, aliâs pituitoſiorem, nonnunquam ſangnini magis, quàm modò dictis humoribus admiſtam: ſemper tamen reliquos humores copiâ ſuperantem, quam ſententiam alii quoque profitentur. Sed nos ad propoſitum tandem veniamus.

Nonnulli, cùm lepræ in veteri novoque Teſtamento mentionem fieri animadvertunt, non aliam intelligendam putant, quàm nunc vulgò notam. Sed magna inter utramque eſt differentia.

Primùm enim noſtra lepra noſcitur ex corrupto

rupto ſanguine: Judæorum non item. Siquidem res exangues etiam Judæorum lepræ obnoxiæ fuerunt, ut veſtes & domus, ſicut ſuprà ex Lev. 13. & 34. oſtenſum, adeò ut in veſtibus leproſis primùm ablutio tentata fuerit, eaque nihil ad macularum abolitionem proficiente, igne, quod leproſum erat, abſumeretur: è parietibus autem lapides leprâ defœdati primùm eximebantur, iiſque extra civitatem in locum immundum abjectis, mundi lapides in eorum locum muro inſerebantur. Similiterque limus parietum deradebatur, eóque itidem in locum immundum abjecto, novo tectorio domus obducebatur: quòd ſi & hæc fruſtra fierent, ipſam domum demoliebantur, & particulatim extra civitatem in locum immundum efferebant.

Deinde lepra noſtra contagioſa eſt. At Judæorum lepra contagii fuit expers. Nam ſi contagioſa fuiſſet, ille, cujus corpus totum texerat, non habitus fuiſſet mundus, nec ille, in cujus cute viva caro rurſus apparuiſſet, immundus.

Cujus rei admiratione ductus Philo Iudæus in libro, *Quod Deus ſit immutabilis*, hanc legem vocat novam, & à vulgo receptâ opinione diverſiſſimam, quòd ex parte leproſum pronunciet impurum; eum verò, qui à capite ad pedes uſque leprâ occupatus eſt,

purum proclamet. *Quilibet enim*, inquit, *probabili ductus conjectura diceret contrarium, nimirum lepram, quæ ultra parvam aliquam corporis partem non diffunditur, minùs impuram; per totum autem diffuſam, impuriorem videri.* Et in libro, qui inſcribitur, *De plantatione Noë. In Lege*, inquit, *de lepra decretum eſt, eum, in quo nondum varietas colorum extitit, ſed albâ vitiligine à capite ad pedes occupatur, purum eſſe.* Itaque de homine, cujus corpus tali lepra obſidetur, tale etiam fingi poſſet ænigma:

Quò magis eſt ſanus, tantò magis æger habetur,
Quòque æger magis eſt, tantò mage ſanus habetur.

Certè ſi lepra Judæorum per contagium in alios tranſiiſſet, iiſque corporaliter, ut ſic loquar, aſperſa fuiſſet: illis quibus totum corpus à vertice ad calcem operuerat, cum mundis habere conſuetudinem, Lege conceſſum non fuiſſet.

Cur igitur, inquis, ex Legis præſcripto immundi à populi converſatione arcebantur & extra caſtra habitatum ire jubebantur, ſi lepra Judæorum contagio caruit? Nempe quia ſic Deo placuit, cui inſtituti ſui cauſa & ratio optimè eſt nota. Deinde etſi immundi non polluebant mundos corporaliter, polluebant tamen eos legaliter, ſicut & gonorrhœâ laborantes aut menſium profluvio. Nam & horum conſuetudine Lex interdixerat,

rat, non quòd fluxuum ſuorum fœditatem in alios transfunderent, iiſque communicarent, ſed quòd legali duntaxat immunditie eos contaminarent.

Atque hac ratione immundus quoque habitus fuit, quiſquis aut cubile, aut ſedile gonorrhœâ affecti, vel fæminæ menſtruatæ, nedum ipſasmet immundas tetigiſſet, ut videre eſt Lev. 15.

Similiter Lex immundum pronunciabat, qui domum leproſam à ſacerdote occluſam ingredi auſus fuiſſet, Levit. 14. verſ. 46. Quòd ſi ſolus ille ingreſſus in domum immundam polluere potuit, quantò magis contactus ſive perſonarum immundarum, ſive rerum, quibus immundæ perſonæ ſunt uſæ, ut de cubili & ſedili diximus?

Sed hoc præ cæteris conſideratione dignum, quòd ſupellex, ſi è domicilio de lepra ſuſpecto ante introitum ſacerdotis exportaretur, impolluta maneret: ſin in ea relinqueretur uſque ad ſacerdotis ingreſſum, immunda fieret, ut colligitur ex verſ. 36. cap. 14. in Levitico. De quo audiamus Philonem Judæum in libro, cujus pauló ante memini, ſic diſſerentem. *Huic ſimile eſt, quod etiam de domo præcipitur, quam aliquando contingit leprâ infici. Ait enim* (ſcilicet Legiſlator:) *Si domus leprâ infecta fuerit, ibit ejus dominus & nunciabit ſacerdoti, dicens: Quaſi*

contagium lepræ videtur mihi in domo mea. Moxque ſubdit: Et præcipiet ſacerdos, ut efferantur univerſa è domo, priuſquam ingrediatur eam, ut videat, & non erunt immunda, quæcunque in domo ſunt. Poſthæc intrabit ſacerdos, ut conſideret. Ergo priuſquam intrat ſacerdos, pura ſunt, quæ domus continet: illo autem ingreſſo, impura omnia. Atqui contrarium erat veriſimilius, poſt introitum viri purificati, ſoliti pro cunctis ceremonias obire, & vota ſacraque facere, res in meliorem ſtatum mutari, & ex impuris puras fieri. At nunc ne in eadem quidem conditione permanent, ſed ſuperveniente ſacerdote deteriores redduntur.

Elucere ex iis, quæ hucuſque in medium allata ſunt, arbitror, lepram Judæorum peculiarem & naturæ prorſus inexplicabilis luem fuiſſe, neque alio niſi legali contagio alios polluiſſe. Atque ejuſdem ſententiæ fuiſſe Thomam Eraſtum libro 4. Antiparacelſicarum ejus diſputationum videbis.

PERORATIO.

DEus, Legiſlator ſapientiſſimus, tum corporalem, tum ſpiritualem lepram, hoc eſt, peccatorum ſordes, clementer à nobis avertat, neque concedat, ut vel in hoc mundo è ſocietate hominum, ſive politicâ ſive eccleſiaſticâ, tanquam immundi excludamur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

damur, vel è regno cœleſti in æternum exulemus; nec ut domus immundæ rudera in locum immundum abjiciamur, vel immundæ veſtis inſtar igne, eoque inexſtinguibili, uramur atque cruciemur: ſed faxit, ut filii ipſius ſanguine mundificati, cum ipſo in perpetua beatitudine vivamus, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium ejus unicum, Amen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Ad Benevolum LECTOREM.

IAmque mea extremam tetigere ænigmata metam,
Præbeo judicioquæ trutinanda tuo.
Sic tamen, ut limâ caveas mordaciùs uti,
Si quid in his limæ fortè requiret opem.
Vel verbo monitus, cauſæ modò momina jungas;
Faxo, ſcias pondus verbum habuiſſe tuum.

Joh. Pincier.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

INDEX IN TRES LIBROS ÆNIGMATUM.

A.

ABel eſt antiquiſſimus Prometheus. 157. *à Caino occiſus.* ibid.
Abelis victima. 155
Acetum eſt vinum mortuum. 287. *quomodo generetur,* ibid. *rodit lapides, margaritas, ovi cortices.* 59, 60. *reſiſtit putredini.* 290. *ſcatet vermibus.* 289.
Acetum tenuium partium. 169
Aciditatis cauſa continens. 288.
Adamas an igniatur & igne corrumpatur. 180. *an malleo ſit infragilis.* 183. *an molliatur ſanguine hircino.* 184. 185.
Adamantes noſtri an genuini. 186.
Adamantum progagatio quaſi per ſexum duplicem. 188. *mira fœcunditas.* 187. *venatio.* 190.
Adamas an enervet Magnetem. 187
Agnus herba Tartarorum. 19.
Ahabus. 85.
Ἀκανθόχοιρος. 187
Alexander Severus eſu leporum corporis venuſtatem affectabat. 139.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Alexandria. 335
Almedina. 17
Aloë. 290
Anates Britannicæ. 5
Anglia an habeat lupos. 254. 255
Animus ſideribus velocior. 166
Anni climacterici. 249
Anſeres Scotici non naſcuntur in arboribus. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *de anſeribus centum, ænigma.* 75
Annuli ſalientis conficiendi ratio. 150
Antiperiſtaſis. 313
Apelles. 95
Apes. 100
Apum pabulum. 182. 183. 184
Apes virgines. 186.
Aqua quæ hominum generi nocentiſſima, quæ item ſaluberrima. 241
Aqua cur fluat. 328
Aquilo. 144
Arbor aqua ſtillans. 21
Arbor triſtis die. 28. *triſtis nocte.* 30
Arbor pudica. 88
Arbuſculæ lapideæ. 92
Archimedis ſolertia, quâ adulterationem aureæ coronæ deprehendit. 50
Argenti vivi temperamentum. 149
Argentum vivum caloris impatiens. ibid.
Argento vivo omnia gravia innatant præter aurum. 40
Argentum vivum eſt Chymicorum Mercurius. 42.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

datur verminantibus vitulis & puerulis 45.
datur parturientibus. ibid.
Argentum vivum è corpore elicere. 43.44
Argento vivo non temerè caput ſcabioſum ungendum. 43
Argentum vivum auri eſt appetens. 44
Argenti vivi uſus in iliaca paſſione. 45
Argentum vivum eſt unum è principiis metallorum. 49
Argenteos, quibus Iudas Chriſtum vendidit, fuiſſe ſiclos ſanctuarii. 57
Argentei triplices, vulgares, regii, & ſanctuarii. ibid.
Arimathia ad montes Ephraim. 125
Arſinoës templum. 18
Arteriæ umbilicales. 193
Ἄσβεστος, id eſt, calx nondum exſtincta. 308
Aſcites. 206
Atramentum ſcriptorium. 22
Auguſti in Herodem dicterium. 334
Aurum argento vivo impoſitum mergitur. 40
Aurum eſt gravisſimum. 40. denſisſimum. 50
Aurum allicit & è corpore elicit argentum vivum. 43.44.
Aurum caret ſulphure. 47
Auro ineſt ſulphur. 48
Aurea corona Hieronis. 50
Auſter. 143.144
Auſter unde dictus. 144
Auſter an calidus ad nos perveniat. 145
Auſtri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Auſtri ortus cur Buchanano algens dicatur. ibid.
Avium ventres calidiſſimi. 68

B.

BAſiliſcus. 261, 262
Baſiliſci meminit ſcriptura. 262. *Plinius.* 263. *Solinus.* 264. *Feſtus.* 264. *Lucanus.* ibid. *Galenus.* 266. *Aëtius.* ibid. *Eraſiſtratus.* 267. *Platina.* ibid. *Scaliger.* 267.
Baſiliſcus an naſcatur ex ovo galli decrepiti. ibid.
Baſiliſci Warſavienſis hiſtoria. 268
Baſiliſcus Zuiccavienſis. 273
Baraniec. 19
Berchtoldus Schwartz *puveris pyrii inventor.* 281
Bernachiæ. 5
Bœotica ænigmata. 113
Bombarda. 280
Bombyces. 209
Borametz. 19
Boreas. 143. 144

C.

CAin occidit Abelem. 156
Caini victima. 155
Cainus eſt antiquiſſimus Iupiter. 156
Calx *unde fiat* 308. *cur aquâ affusâ incaleſcat.* 310.
Calx *affusâ aquâ accendit ligna, pulverem pyrium & ſulphur.* 309, 312
Calix *roſæ.* 148
Caloris *innati pabulum.* 146. *interitus.* 147
Camphora. 166. *ejus origo.* 167

Cam-

Camphoram non eſſe bituminis ſpeciem. 167
Camphora facilè ardeſcit & in aqua flagrat. 167. *eſt leviſſima.* 168. *facilè evaneſcit, & quomodo ſervetur.* ibid.
Camphoræ temperamentum. 168
Camphora Veneri eſt inimica. 170
Camphoræ cum aliis permiſtio. 171, 172
Caphura 166
Caprocornus gelidus rigens. 146
Caſtoris induſtria. 36
Caro Chriſti eſca omnium ſaluberrima, & quomodo comedatur. 246
Caro bubula 141. 142. *leporina.* 138
Cateclyſmus univerſalis. 248
Caudæ vervecum grandes. 253. 254
Cerebrum ſenſus & motus arbitrarii expers, 63, 64
Chamæleon an ſolo vivat aëre. 9
Chamæleon Ægyptiacus, Arabicus. 11
Chamæleon veſcitur inſectis. 10
Chamæleonte mutabilior. 13
Chamælæa. 116
Chamus. 243
Chriſtus, ſecundùm divinam naturam ab æterno genitus. 162. *ſecundùm humanam naturam cæpit in tempore.* ibid.
Chriſti humanitas an ſedeat ad partem dextræ Dei. 164
Chriſtus venditus, 15. *Imperialibus thaleris.* 57
Chriſtophorus Columbus novi orbis repertor. 197
Chryſocolla. 42

Clahguyſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Clahguyſe. 1
Clakis. 2
Climacterici anni. 250
Climactericorum cur ſexageſimus tertius ſit periculoſiſſimus. ibid.
Cœli cœlorum non capiunt Deum. 160
Cœlum Ariſtoteli quomodo ſit in loco. 321
Compoſitionis modi varii. 163
Conchæ anatiferæ. 4. 5
Continui ſolutio doloris cauſa. 300
Coralium ubi proveniat, & quomodo colligatur. 86
Coralium triplex. 87. album. ibid. rubrum. ibid. nigrum. 89
Coralii baccæ. 88
Coralium quomodo generetur. 90. 91.
Cor. 238
Cornix. ibid.
Crabans. 5
Cuniculi Indis Hutiæ. 135
Cyrknitzenſis lacus. 55

D.

Dens oppoſitus evulſi lacunam explet, 297
Dentes an ſentiant. 298
Dentium ſtupor. 299
Dentes perpetuò creſcunt. 297
Denſum omne grave. 128
Deus totus in omnibus locis, & extra omnia loca. 160.
Deus etiam extra hunc mundum eſt. ibid.

Deus

Deus eſt infinitus. 160, 163
Deus eſt ſimpliciſſimus. 163
Deus totus eſt, ubi eſt. ibid.
à Deo omnis compoſitionis modo alieni. ibid.
Dextra Dei. 164
Diaboli nec leves, nec graves. 231
Divini auxilii memorabile exemplum. 84, 85
Dolor dentium. 307
Dux Moſcoviæ ſagittâ trajectus. 84

E.

Echeneis. 78
Eclipſis Lunæ. 121
Eclipſis Solis. 123
Eclipſis Solis miraculoſa. 215, 221
Edgarus Angliæ Rex. 255
Elephantia Celſi. 333
Elephantia tumor pedum. ibid.
Elephantiaſis unde dicta. ibid.
Elephantiaſis unde oriatur. ibid.
Elephantiaſis malum Ægypto peculiare. 335
Elephas morbus. ibid.
Embryo. 191
Eme avis. 71
Empryeuma calcis. 308
de Epiſtola ænigma. 135
Eques claudus. 259
Eruca. 208
Eryſipelas. 306

Eſca

Eſca pernicioſiſſima, 245. ſaluberrima. ibid.
Eſſe melius eſt, quàm non eſſe. 93
Extra, eſt nota loci. 161
Extra cœlum, nec locus, nec vacuum, nec tempus eſt. ibid.

F.

FErrea ſecuris miraculosè natavit. 234
Ferri inſula. 21
Fidium ſympathia. 74
Felix, 151. fert ſemen. 154
Flumina ex mari oriuntur. 199
Folium ambulans. 21
Formicæ. 113
Formicarum natura. 114, 115, 116
Formicæ Indicæ grandes. 117
Formicæ aurum è terra egerunt. ibid.
Formicæ eſculentæ in inſula Mangi. 118
Fortunæ viciſſitudo. 133
Fratres Salernitanorum, 109. Lombardorum. 110.

G.

GAllæ. 22
Galli decrepiti ovum. 272
Gallorum duorum incubatus Ziriz æ æ. 277
Gallinæ nigra carne. 137
Gallinæ lapillos, quos devorant, concoquunt. 68.
Gallina plus quàm ſex ova uno die pariens. 207

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Grando porcorum morbus. 334
Gravitas quomodo cauſa doloris. 305
Gyrinus. 98
Gyzateres. 185

H.

HÆbrides inſulæ. 1.6
Hæmodia. 301, 302
Herba viva, ſentiens. 30, 31. *ſaliens.* 32
Hermanni, Comitis Hennenbergenſis conjugis, partus numeroſiſſimus. 62, 63
Herodes pueros infra bimatum jubet interfici. 334
Honigthaw. 18[illegible]
Horæ Iudæorum inæquales. 216
Horizon. 72
Humidum quid. 149
Humidum aqueum, pingue, 67. *radicale.* 146
Hutias Indi cuniculos appellant, 135. *de* 12. *hutiis hiſtoria.* ibid.
Hydatides. 226
Hydropis cauſa. 223
Hydropici tumor in cruribus. 306
Hyſtrix. 187

I.

IApetus. 243
Ibi eſt nota loci. 161
Ignis cleps Prometheus. 157

Ignem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Ignem dono accepit Prometheus. ibid.
Ignis præſes Vulcanus. 258
Ignis vulgaris nutrimenta. 146, 147, 258.
Impetigo Celſi. 333.
Indorum de ſcriptura judicium. 135
Ingratitudo maximũ vitium, ejuſq; premium. 123
Ingrato nihil pejus. 124
Ioſephus Arimathienſis. 125
Ire remotos locos. 137

K.

Κοάξ ranarum vox. 98.

L.

L*Acus Cyrknitzenſis.* 55
Λαγῶς, lepus, unde dictus. 142
Lapides fiſſiles figurati. 159
Lapis in altum conjectus. 118
Lathyris. 293
Lausdunenſe cœnobium. 62
Leporum caro. 138. *ſanguis.* 140
Lepra Arabum. 333
Lepra Græcorum. 332
Lepra Iudæorũm. 330
Lepra unde dicta. 332
Lepus amoribus ſacer. 142
Lepus gloria quadrupedum. 141
Leporum formæ gratiam conciliare, quomodo accipiendum. 139, 142, 143
Lepus quando ex dentibus doleat. 296

Levi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Levitas corporis qualitas, non ſpiritus. 231
Locus quid. 315, 320, 325
in Loco eſſe actu, potentiâ. 321
Locus quando cœperit. 318
Locus ſitne ſuperficies. 319, 320
Locus quàm latè pateat. 160
Locus non eſt extra mundum. ibid.
Locus cum mundo cœpit. 161
Lucius à rana victus. 39
Lucio venali cultro aperitur venter. 260
Ludvallus Walliæ Princeps. 255
Luna à Sole illuminatur. 120. *Vltra dimidium.* ibid.
Lunæ vultus varii. ibid.
Lunæ eclipſis. 121
Luna an proprium habeat lumen. 122
Lupos an habeat Anglia. 254
Lupi quomodo in Anglia exſtirpati. 255, 256
Lupi non ſunt in Creta, nec in Olympo., 256
Luſtrum. 132

M.

MAdanus Britannorum Rex. 254
Mahumetis capulus an in aëre pendeat. 17
Mahumetis ſepulchrum non Mechæ, ſed Almedinæ. ibid.
Magnètæ concamerata templa; Mahumetis, Serapis, Arſinoës. 17, 18
Manucodiata aëre vivit & ſemper in aëre. 6
Manucodiata inter ſidera relata, 7

Manu-

Manucodiata quomodo aëre nutriatur. 188
Manucodiatarum propagatio per duplicem ſexum. 93. *mas dorſum habet excavatum, & fœmina pectus.* ibid.
Manucodiatarum nidus. ibid.
Manna Arabum. 102
Margaretæ, Comitis Hennenbergenſis uxoris, partus numeroſiſſimus, 62, 63
Margarita à columba devorata, 69
Margaritæ ſolvuntur aceto. 59
Mars cur dicatur mœchus. 280
Mel, 100. *meteoron eſt.* 101
Mel aërium. ibid.
Mel ex floribus colligitur. 102, 103, 104, 105, 106.
Mel ex floribus expreſſum. 105
Mel mænomenon. 104
Melligo florum. 102
Memprítius Britannorum Rex. 255
Mercurius Chymicorum eſt argentum vivum. 42
Mercurius eſt luis Venereæ alexipharmacum. 43
Mercurii è corpore eliciendi modi. ibid.
Mezereon. 106
Mineïdes. 26
Molæ vivæ. 111
Moſcorum dux ſagittâ interfectus. 84
Mundus finitus. 160
Murmelthier. 54
Mures Alpini. 53

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

N.

NAdir. 72
Natura appetit quod melius. 73
Navis. 124
Navis prima Hiſpanorum quando in Indiam Occidentalem venerit. ibid.
Navis Argonautarum. ibid.
Nimium naturæ perniciosum. 67
Nix. 241
Noæ tres filii. 243
Noëma eadem quæ Venus. 259
Noli me tangere, herba. 32
Notus, 144. unde dictus. ibid.
Noti algens ortus. 145
Nulla pro cifra. 257
de Nummo calculatorio ænigma. 132

P.

OΛολυγὼν vox ranarum. 98
Opium eſt amarum, frigidum, ardet. 169
Oſſa per ſe non ſentiunt. 297
Oſſa perioſtii beneficio ſentiunt. ibid.
Oves caudis ingentibus. 253
Ovi cortex quomodo molliatur. 60
Ovum ex vino ſulphur non elicere, ibid.
Ovum à Columbo erectum. 197
Ovi cortex ut à ſole attrahatur. 249
Ovum à capo editum. 273
Ovum an gallus decrepitus pariat. ibid.
Ovum galli Erphordiæ viſum. 274

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Ovum galli, quod villicus Nobilis à Seelbach habuit. 275
Ovum, per cujus apicem alterum reptilis cauda exiit. 278
Ovum, in quo vermis lacertæ ſimilis. ibid.
Ovum, in quo monſtrum fuit facie humanâ. ibid.
Ovum, in cujus teſta ſerpens criſtatus & alatus figuratus fuit. 279

P.

PAradiſus Mahumeticus. 6
Paraſius. 96
Pariſatico. 29
Partus numeroſiſsimus. 62
Peccata, quæ in Adami & Evæ lapſu concurrerunt, & eorum pœna. 245
Pedes in carmine. 54
Peplium. 293
Perioſtium. 297
Perſicaria ſiliquata. 32
Pilulæ deſperatæ. 43
Piſcium imagines aureę in lapidibus foſsilibus. 159
Plumbi liquefacti cum argento vivo cõparatio. 49
Plumbum liquatur humido pingui. 67
Pontificis aurea imago in lapide foſsili. 159
Porcorum morbus grando. 334
Polus antarcticus an humidis vaporibus plenus. 146
Potio nocentiſsima. 248
Potio ſaluberrima. ibid.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

rometheus ignem clepſit. 157
rometheus idem, qui Abel. ibid.
rotogenes. 95
ulveris pyrii inventor. 321. ejus materia. 281
ulverem pyrium aquis accendere. 309

Q.

QVirinus epiſcopus martyr, aquis ſuffocandus, in ea fluitavit. 235

R.

RAna hoſtis lucii 38. & ejus victor. 39
Ranarum coitus & partus. 98
Ranarum proles Gyrini. ibid.
Ranarum vox κοὰξ & ὀλολυγὼν. ibid.
Ranarum cibus. 99.
Ranarum vita ſemeſtris. ibid.
Ranæ ex genere amphibiorum. 98
Rarum leve. 128
Remora piſcis, Græcis Echineis. 78
Remora tenuit navim Antonii & Caji Caligulæ. 77
Remora Indica retraxit navim. 78
Remora, quâ vi navim retardet, ſententia Scaligeri & aliorum. 80. 81. Plutarchi. 82. quæ redarguitur. 83.

S.

SAccaron. 106
Sagarum exploratio per aquam frigidam. 229

Q Sagitta.

Sagitta. 53
Sanguis Chriſti, potio ſaluberrima. 248
Saxifragia & ejus ſemen. 8
Scorpio. 294
Scripturam ignorant Indi occidentales. 136
Scuta ex corticibus teſtudinũ 286. *c iſeorum.* ibid.
Semus. 243
Senectus. 173
Serapis templum. 17
Sericum quando Romanis innotuerit. 210
Siclus triplex, vulgaris, regius, & ſanctuarii. 57
Simulachrum Solis pendulum. 17
Sitis hydropicorum. 227
Solis germana Luna. 120
Sol Lunam illuminat. ibid.
Sol major Luna. ibid.
Solis eclipſis 123 *miraculoſa.* 215, 222
Sol effectivè calidus, non formaliter. 65
Speculum. 94
Sphingis ænigma. 112
Spiritus hominis non eſt purus aër. 127
Spongiæ marinæ. 34
Springkraut. 32
Stachelſaw. 107
Struthiocamelus. 65. *devorat ferrum.* 66. *quomodo concoquat.* 70
Stupor dentium. 299. *ejus remedia.* 300
Submerſorum cadavera cur ſeptimo aut nono die emergant. 235
Submerſorum virorum cadavera cur ſupina, fœmina-

minarum autem prona fluitent. 237
uibus abſtinebant Iudæi & Ægyptii. 336
umatra inſula. 6
yone. 205

T.

TAprobane. 286
Tempus cum mundo cœpit. 162
Tempus non eſt extra mundum. 160
ernarius. 260
erra corpus opacum. 122
erræ ambitus. 165
erra & aqua conſtituunt globum, 18. ſed non abſolutè rotundum. 328
eſtudo, 325, Teſtudines grandes. 284, 285
onſorum vitra aſperſoria. 210
ubalcainus idem cum Vulcano. 258
urbith. 293

V.

VAcuum non eſt extra mundum. 160
Vacuum in rerum naturâ ad breve tempus dari. 212
Ubi eſt nota loci. 161
ena umbilicalis. 193
entriculi avium, calore abundant. 68
ermiculi lapidei. 92
ervecum caudæ magni ponderis. 253, 254
eſica aëre diſtenta cur non ſponte ſubmergatur. 126. ſitne gravior, quàm vacua, ſententia Ariſtotelis, Themiſtii, Ptolemæi ibid. cur ſub aquam detruſa rurſus emergat. 129

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Veſpertilio, 25. *Americanus*, 26. *Braſilianus*, 27. *eſculentus*, ibid. *grandis*. 28
Veſta. 280
Viperarum coitus, partus, interitus. 13, 14, 15, 16
Viſus velociſſimus. 166
Vincentii martyris cadaver natavit. 234
Vinum accendere, ut ſulphur conſumatur, ridiculum. 61
Vitiligo. 336
Vitriolum. 22
Vitrum. 94
Vmbra. 17. 58. *triplex*. 108
Vmbra an apud Syenitas nulla. 205
Vnitatis ſolutio. 301
Vnio ſolutus à Cleopatra. 59
Vnio à columba devoratus. 69
Vrſus. 23
Vrticæ marinæ. 33
Vulcanus cur claudus. 258
Vulcanus idem cum Tubalcaino. ibid.

Z.

Z*Avolha Tartarorum horda primaria*. 19
Zeiland. 106
Zenith. 72
Zeuxis. 96
Ζωόφυτα. 33.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 25